VITA

BEATI JOSAPHAT KUNCEVICII

ARCHIEP. POLOCENSIS ET MARTYRIS.

PICTAVII. — TYPIS HENRICI OUDIN.

CURSUS VITÆ ET CERTAMEN MARTYRII

B. JOSAPHAT KUNCEVICII

ARCHIEP. POLOCENSIS, EP. VITEBSCENSIS ET MSTISLAVIENSIS

ORDINIS D. BASILII MAGNI

CALAMO

JACOBI SUSZA

EP. CHELMENSIS ET BELZENSIS, CUM S. R. E. UNITI, ORDINIS EJUSDEM

ADUMBRATUM.

EDITIO NOVA, EMENDATIOR ET AUCTIOR

CURANTE

JOANNE MARTINOV

PRESB. S. J.

PARISIIS

VICTOR PALMÉ, BIBLIOPOLA-EDITOR

VIA SANCTI SULPITII, 22

1865

JUXTA RARISSIMA EXEMPLARIA EDIT. ROMANÆ ANNI MDCLXV.

Bonum *certamen* certavi, *cursum* consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi *corona justitiæ.*

(II Tim. iv, 7.)

EXCELLENTISSIMO DOMINO

FLAVIO E PRINCIPIBUS CHIGI

ARCHIEPISCOPO MYRENSI, NUNTIO APOSTOLICO IN GALLIIS.

EXCELLENTISSIME DOMINE,

Quod ego Tibi offero Jacobi Susza, episcopi Chelmensis opus de Beato Josaphat, in odium fidei catholicæ a popularibus suis crudeliter necato, id jamdudum Tuo nomini nec unam ob causam devotum fuit.

Etenim quum et ipsemet auctor illud non alii dedicatum voluisset quam Alexandro papæ VII, qui Chisianæ gentis nomen ad apicem ecclesiasticæ celsitudinis extulit, et Ignatius Kulcinius, ordinis S. Basilii, suum Il diaspro prodigioso di tre colori, *quo illud idem contractius continetur, sub auspiciis Marii Chisii vulgasset Romæ anno* 1723, *pronum erat omnino, ut ego quoque, utriusque scriptoris vestigiis insistens,*

quosdam illustrissimi nominis tui radios in novam hanc Susziani operis editionem derivarem.

Ad hæc, ut me ad Tuum patrocinium quærendum converterem, suadebat vel ipsa Tua humanitas atque facilitas qua nuper a me similem ejusdem auctoris accepisti scriptionem, de Meletio Smotriscio, quem e Saulo in Paulum Ruthenæ Unionis sanguine suo transformaverat beatus Josaphat.

Erit fortassis eo etiam nomine hæc mea Tibi oblatio acceptior, quod effigiem exhibet archipræsulis sanctissimi, qui, ut cætera taceam, labores incredibiles posuit in tuenda Sedis Apostolicæ auctoritate atque in popularibus suis ad obedientiam Romani Pontificis reducendis. Cujus memoria, ut est apud Ruthenos cum S. R. E. unitis in benedictione, ita a non unitis, nostra præsertim ætate, proculcatur, majorene dixerim malitia an ignorantia : non secus ac olim corpus optimi hujus pastoris examine tractaverant ejusdem orthodoxiæ, *ut aiunt, sectatores, cædentes, calcantes, conspuentes, quibusvis demum probris illud afficientes. Ad quos confundendos aut potius Christo lucrandos, vix quidquam opportunius aut efficacius esse poterit, quam ut genuina tanti servi Dei imago in plena veritatis luce ob eorum oculos ponatur. Sperandum nempe est fore, ut quemadmodum olim Josaphat quamplurium* inimicorum corda convertit ad pacem

(Prov. XVI, *6), ita recentiorum quoque schismaticorum obduratas cervices emolliat, et qui* raptor animarum *audivit vivus, idem ille et mortuus vocari possit. Immo quo magis res catholicæ, nostra hac tempestate turbatissima, tum alibi, tum in Polonia, Lithuania et in Ruthenorum terris videntur periclitari, eo validiore voce sanguis ejus pro fide profusus clamat ad cœlos :* Vindica sanguinem meum, Deus meus, *eam scilicet exposcens vindictam, qua sancti martyres Christi vindicari solent. Quam tamen integram et plenam non antea consequetur Josaphatus, nisi ubi, amplificato cultu ecclesiastico quo jamdudum gaudet, atque honoribus* Beato *redditis in* Sancti *gloriam commutatis, splendidiore corona donatus fuerit a Summo Pontifice, cujus est solemnem hanc decernere mercedem, quemadmodum non ita pridem ea donavit sanctos martyres Japonenses.*

Et quoniam incidit sermo in fortes hos Ecclesiæ catholicæ athletas, quorum tres in nostra minima Societate Jesu decertarunt, nefas esse ducerem, Excellentissime Domine, silentio præterire istam benevotentiam, qua eamdem semper complexus es; quam quidem in beato Josaphat (erat enim Societati nostræ addictissimus) lætus videbis fuisse tantam, ut teste Jacobo Susza (pag. 46), se nonnisi indumento ab ea differre, unumque esse cum illa palam profiteretur, hostes

ejus suos hostes reputaret, quin et salutem totam censeret desperatam qui dente eam roderent maligno.

Omitto referre, quod dum patriam meam inviseres, ut monarchæ augustissimo Alexandro II ad thronum recenter evecto, fausta quæque nomine Pontificis-Regis precareris, bonas Russorum res amare didicisti; aut quod Varsaviam repetenti jamque subeunti Tibi, donata fuit, non sine Numinis providentia, gratissima ac prorsus inopinata occasio sacras Josaphati exuvias contemplandi pieque venerandi.

Ad extremum, quum Tu in civitate hac amplissima totiusque Galliæ principe, tanto munere (quod vel solum est luculentissima Tui approbatio) defungaris; ego vero cum collegis meis, domo itidem Russis Tibique probe notis, in ea provincia explenda pro virili insudem, quam nobis admodum R. P. Petrus Beckx, Præpositus noster Generalis, nomine ipsiusmet SS. D. N. Pii IX demandatam significavit, ut scilicet in libris catholicis vernaculo potissimum idiomate vulgandis operam navaremus, — idcirco etiam credidi meum placendi Tibi in offerendo hoc volumine conatum cessurum felicius, si illud Tibi qui Christi Vicarium hic repræsentas, solemniter dedicaretur.

Quod equidem facio, Præsul Reverendissime, ut gratam omnis quæ antistitem decet virtutis speciem, in Beato Josaphat refulgentem, facilius possis

contemplari, earumque pulchritudine illectus ac permotus, præclari hujus martyris cultum ipse vicissim apud Sanctam Sedem promoveas, quo cœleste Beati patrocinium in Temet uberius experiaris. — Qua itaque voluntate munusculum hoc qualecumque Excellentiæ Tuæ offero, eadem illud respice et in Tuam accipe clientelam, simul et Christum Jesum, Ecclesiæ Caput invisibile optimis Tuis precibus exora, ut plures Ecclesiæ Ruthenæ suscitet pastores Beati Josaphat similes, quo citius populares mei ad pristinam majorum suorum fidem redeant, Romanum Pontificem totius Ecclesiæ Caput visibile, et Christi in terris Vicarium agnoscant, fiatque iterum unum ovile et unus pastor.

Reverendissimæ Excellentiæ Tuæ
infimus et obsequentissimus famulus

JOANNES MARTINOV,

presbyter Societatis Jesu.

Dabam Parisiis, die 26 septembris,
anno 1864.

SANCTISSIMO DOMINO

ALEXANDRO

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ VII

DOMINO DOMINO CLEMENTISSIMO.

BEATISSIME PATER,

Immotum Domini Deique nostri effatum per sæcula mansurum est, viros apostolicos esse mundi lucem. Quos in eam, divina plane virgula sua, ad lucendum hominibus, transformat. Lux Josaphat, potenti Dei efformata Verbo: ut in Cimmereis Russiæ tenebris, qua pietatis, qua doctrinæ splendore suæ coruscaret. Quibus, ut voci Dei velificaretur, plurimos orci in Russia tenebriones, non duntaxat ad sanctæ lumen attraxit Ecclesiæ, verum etiam in ipsam pietatis christianæ convertit lucem. Et dum huic divino, felicibus passibus, incumbit operi, ut fortis athleta, pro sancta et perbeata divi Petri Sede, ab hostibus ejusdem, teterrimis mortis involutus tenebris occubuit. Sed

in clarissimo Sanctitatis Vestræ prædecessore, Urbano VIII, eam piæ urbanitatis nactus gratiam, ut ad lucem eductus, Beatos inter cœlicolas inclaruerit. Nihilo secius iterum Josaphat, ad sanctissimam Petri petram, hoc est Vestræ Sanctitatis Sedem, et petreos montes, æternæque potestatis in montibus lucem, et mentem et oculos levat suos, ut inde veniat auxilium sibi, veniat benedicta Vestræ benignitatis corona, veniat lux sanctificationis perfecta. Ille profecto ipse cum toto amplissimo Poloniæ regno, cum tota Russia unita, hoc exili in volumine, altera manu vitæ lumen, altera martyrii ferens, de cœlo ipso, Vestræ Sanctitati supplicat, ut per sacrum ejusdem in montibus lumen, plenissimo sanctorum lumine coronetur.

Vestræ Sanctitatis
humillimus et indignissimus servus,

JACOBUS SUSZA,
episcopus Chelmensis unitus.

AD LECTOREM.

Vitam, martyrium, et miracula B. Josaphat lucidaturus, tanquam divinam cynosuram, Polocensem *anni 1637 super illis* processum, *mihi sequendum proposui. Qui me inoffensum suscepto gubernet in opere: rerum quippe humanarum in tenebris facile a vero deflexeris, nisi certum quod sequaris, lumen affulgeat. Sacra hunc Rituum Congregatio processum, de voluntate felic. record. Urbani VIII fieri indixit,* Anno 1637, die 7 sept. *cum prius clarissima christiani orbis lumina, Sigismundus III, Vladislaus IV, Poloniæ et Sueciæ reges, suas ad Urbanam Petri Sedem pedesque, longe quam dici possit ardentiores deposuissent preces. Quas e clero latino unitoque Rutheno, Poloniæ et Lithuaniæ Russiæque summi prælati, plurimi earumdem magnates, divi Religio Basilii, cæterique, perquam humili postulatione impendio inflammarunt. Procuratorem tam sancti laboris, sacra suo de Propaganda Fide Congregatio Raphaelem Korsak, episcopum Pinscensem, metropolitanum post Russiæ, creavit decreto; judices cæterique ad id muneris necessarii viri* Anno 1635, die 26 sept.

doctrina, dexteritate, prudentia, probitate conspicui, per sacram Rituum Congregationem destinati. Enimvero, sicubi tum hoc in processu clarissime videas sedulitatem veri dignoscendi divinam, fidem rerum credendarum incorruptam, auctoritatem Ecclesiæ sanctæ summam, cœlestique parem. Peragebatur hoc tam sacrum et tam arduum opus Polociæ, anno salutis 1637, a tertia augusti ad quartam decembris anni ejusdem. Quod cum sacra Rituum Congregatio, 2 martii 1641, ordinatum, perfectum, validumque agnovisset, summo olim Ecclesiæ principi Urbano VIII præsentavit. Postmodum martyrium et causam martyrii memorati Josaphat, 13 sept. 1642, firmissimis rationibus commonstravit. Et cum miracula infallibilia deduxisset anno 1642, novembris 22, martyribus eum adnumerandum canonizandumque censuit. Quibus supremus Ecclesiæ pastor persuasus, cœlesti suo illum ore Beatum proclamavit, quo paternam Unitis pietatem probaret, intimam sanguinis Josaphat venerationem profiteretur. Tanti igitur operis luce ductrice, universa hoc in opusculo de clarissimo traduntur martyre : ut hallucinari circa ea, nec velit quisquam, nec possit. Fateor me nonnulla adjecisse, quæ tum ante, tum post delatum B. Martyri honorem contigere. Et quidem illa, casu quodam, in processu omissa : hæc in dies cum gloria martyris fieri solita, nec addi potuere, cum nondum existerent : nihilominus etiam ista, aliqua firmantur

Anno 1643, die 16 maii.

auctoritate; potissimum tot aliis innixa miris, a B. Josaphato factis, a S. Ecclesia probatis operibus. Quorum nonnulla ex Stanislao Kosinscio, Societatis Jesu, viro gravissimo, totiesque variorum collegiorum rectore, B. Josaphati confessario, qui Vitam *ejusdem polonico scripsit idiomate, desumpta. Quæ tamen in ipso anni 1637 processu, ut juratus testis, probare* In processu fol. 63. *videtur asserens : se omnia ex amore servi Dei diligenter quæcumque ad ipsius commendationem et aliorum ædificationem attinuerant, inquisivisse et notavisse. Alia petita sunt ex Joachim Morochovii, episcopi Rutheni Vladimiriensis, libello* de Vita Josaphat, *SS. Urbano VIII dicato. Alia ex Antonii Gerardi,* 20 maii, 1624. *Eminentissimo Cardinali Antonio Barberino de eodem martyre oblato. Alia ex Relationibus S. Congregationis* 1 novembr. 1643. *de Propag. Fide et Rotæ auditorum collecta. Ex quibus omnibus, Deum Dominum, lector optime, collaudare velis, qui nobis ejusmodi in Ecclesia sancta proponit lumina; quibus illuminati, donec mortalitatis nostræ dispereant umbræ ac æviternæ dies illucescat vitæ, et colere illa digne, et sequi feliciter possimus.*

MONITUM EDITORIS.

Rarissimum hoc Jacobi Susza opus in lucem iterum edenti mihi nihil antiquius fuit, quam ut genuinus romanæ editionis textus rediret intemeratus. Quocirca omnia servata sunt adeo religiose, ut etiam modus quem in scribendis slavicis nominibus usurpavit auctor, remanserit intactus. Quia tamen nomina illa recurrunt frequentissime, modus autem scribendi nonnisi Polonis solemnis est, ideo non abs re fore putavi, si ad eum declarandum quædam ipso initio voluminis præponerentur. Meminerit itaque lector polonici idiomatis ignarus, litteras sz *enuntiandas ut gallicum* ch *(in vocabulo* cher*); litteris* cz *omnino respondere italicum* c *(ex. gr.* Cicerone, cielo*) aut anglicum* ch (church)*; ex quo utroque sono conflari compositum illud* szcz*; denique litteram* c *sonare non secus ac italicum aut germanicum* z (scienza, zeit)*; litteram vero* z *polonicam, sicubi subest puncto aut alio signo ejusmodi, proferri ut gallicum* j *(in vocabulo* jour*). Hinc nomina propria* Susza, Kuncevicz, Szczyt, Smotricki, żyrovicensis *legantur oportet ac si Gallorum more scripta fuissent :* Soucha, Kountsevitch, Stchyt, Smotritski, jyrovitsensis. *Atque hæc de slavica orthographia prænotasse sufficiat.*

Superest, ut lector benevolus moneatur, novam hanc editionem variis auctam esse documentis, ad gesta Beati Josaphat illustranda, ut puto, idoneis; antiquam vero illam ejusdem martyris effigiem qua ornatur, peramanter mihi communicatam fuisse a RR. PP. Bollandistis, quibus ideo publicas debitasque gratias referre lætor.

DE VITA

MARTYRIO ET MIRACULIS

B. MARTYRIS

JOSAPHAT KUNCEVICII

ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS, EPISCOPI VITEBSCENSIS
ET MSTISLAVIENSIS

ORDINIS D. BASILII MAGNI.

Russia me genuit, fovit Lithuania, mitra
Polockum, maduit sanguine Vidbla [1] *meo.*

CAPUT I.

DE NATALIBUS, PUERITIA ET STATU SÆCULARI.

Josaphat servitio Dei magnus, sanguine profuso admirabilis, miraculorum honore gloriosus, eo magis me ad scribendam vitam suam exstimulavit, quo majora ex ea sperem emolumenta; præsertim cum sciam a nemine hucusque integre luci donatam. Dignosci sane poterit, magnorum eum veterumque patrum vestigiis firmiter institisse; et pro

[1] Idem quod Vitebscum.

magnitudine meritorum, sanguinisque pro fide ardenter profusi fortitudine, obstupescendam miraculorum adeptum gloriam.

Josaphati natales.

Originem ille traxit de stirpe rosa utentium in regno Poloniæ nobilium ; uti etiam ea ipsa pro stemmate usus est. Sed cum hoc in orbe res vadant in orbem, et summa imis intermutentur, parentes ejus jam ab ea defloruisse visi fortuna. Vladimiriæ quippe in Volhynia, Russiæ provincia, de Gabriele Kuncevicz consule et Marina, filia consulari, anno a partu virgineo millesimo quingentesimo octogesimo progenitus est. Nec dubitant quidam, sanctimoniæ ejus gloria allecti, eum magni nominis Kunceviciorum in Lithuania anumerare familiæ. Verumtamen pietas progenitorum ejus, christianæ sociata simplicitati, quam toto vitæ dilexerunt cursu, tanto surculo non indigna fuisse dicenda. Joannis nomen de fonte sacro, in ecclesia ruthena s. martyris Parasceves assumpserat; ut vel inde et filius gratiæ, et martyr gratiosus prædiceretur. A parentibus in timore divino, ab uberibus nutritus, ad eam quondam, in qua christianis initiatus fuerat mysteriis, illatus ecclesiam, effigiem Redemptoris nostri de cruce suspensi advertit, et quid rei foret, rogavit. Cui ipsi, appositis ad tenellæ ætatis cognitionem verbis, esse Dei hominisque imaginem, pro asserendo in libertatem et salutem homine enecti, propalaverunt. Mutatus exinde puellus, sensit e latere appensi Domini igneam erumpentem scintillam in cor

Baptismus.

A crucifixo accensus.

suum cecidisse; quæ illum ad devotionis ardorem, corporis macerationem, fidei sanctæ zelum, ab hinc usque ad extremum inflammaret spiritum. Idcirco puerili posthabita levitate et lubrico æqualium consortio, quandoque imaginibus pro modulo formandis, illisque juxta atque exigebat ætas colendis destinabatur; sæpius vero quam existimari potest, aut in remotioribus ab oculo humano locis, aut in memorata æde sacra, si foret aperta, aut in vestibulo ejus, orationi insistens, a sollicitis reperiebatur parentibus. **Pietas ejus.**

Hinc brevi totius civitatis in modestiam, pietatem, constantiam pueruli conversi oculi; ita ut parentes alii suis filiis eum vivum virtutis commonstrarent exemplum, et verberibus ad imitationem eos adigerent. Quinimo ætate majores gravioresque viri, tam probam admirantes pueritiam, ad æmulationem ejus accendebantur. In studio simplicium slavonicæ et polonicæ linguæ litterarum, plus ingenio, quam labore, opinione celerius profecit. Ad sacra tamen quam profana promptior, officium divinum mente alte infixit: quod a puero ad vitæ exitum singulis fere persolvit diebus. Evenit enim, ut religioso quodam coram patre, quem a confessionibus habebat, memorarit, illud triginta annorum decursu nunquam intermisisse.

Crescente in illo ætate, virtus quoque sua incrementa sumebat; quippe Vilnæ cuidam prædiviti ad servitia traditus mercatori, domi forisque pre- **Juventus pie traducta.**

cibus incubuit. Et juvenilem licentiam otiosaque familiariarum colloquia manumittens, libellis piis evolvendis continuo studuit : adeo ut etiam negotiationis oblivisceretur suæ. Hinc a domino suo et verbis severis sæpe et pugnis gravibus exceptus : non eum lectioni, sed licitationi a se allectum. Quibus tantum abfuit, ut ab incœptis deterreretur, ut etiam amplius insisteret.

Turbæ schismatis.

Recens tum Russiæ efferbuit schisma ; et cuncti ferme a pastoribus suis ad nova convertebantur molimina : quod ipsi a sede Constantinopolitana, schismatis et Russiæ capite, divisi, sanctæque Romanæ Ecclesiæ unionem amplexi, ejusdem perpetuo sese obstrinxerint obsequio. Igitur Vilnæ, principe Lithuaniæ urbe, Ruthenis incolis antiquitus patente, ingens religionis turbatio. Clerus, nobilitas, cives, imperitum vulgus, in pastores suos insurgere ; sodalitium novum conscribere ; altare contra altare erigere, et passim universi eo confluere. Fuerant qui non modo sacraria, fortunas Ruthenis unitis eriperent, verum etiam violentas manus injicerent. Et quidem ore, manu, ferro, ad seditionem, tumultum, violentiam promptiores, pietatis etiam et orthodoxæ fidei studiosiores credebantur. Ea propter paucis unioni adhærentibus, Joannes etiam nova rerum turbatus imagine, quo se verteret anceps, oraculum consulit divinum. Illustratusque cœlitus, schisma odiisse impendio cœpit, et ecclesiæ unitorum animitus adhæsit; ut sæpe propheticum illud :

Odivi synagogam malignantium ingeminaret. Inde in æde sanctissimæ Triadis Deum ardentibus venerari precibus; pro unione identidem supplicare; in choro cum singulari cordis lætitia psallere; altari devota cum exultatione inservire; quandoque etiam campanis sonare. Et quod in simplici mireris adolescente, nullo alio duce, solo inspiratore Deo, ut ad magna habilior evaderet, magnis viris consuescere magnopere avebat. Hypatium Pociey, archiepiscopum metropolitanum Russiæ, qui recens [1] eam obedientem sedi apostolicæ præsentaverat, impense colebat. Josephum Rutscium, necdum religionis Basilianæ alumnum, et in sæculo egregium virum, intime venerabatur. Valentinum Fabricium, Gregorium Gruzeswki, ambos magnos eruditione, magnos pietate ambos, et lumina Societatis Jesu, post, regis Poloniæ Sigismundi III sacros oratores, nimium quantum suscipiebat.

Hisce magistris, videre erat Joannem ad doctrinæ christianæ lucem non obscure pervenisse; quinetiam pietatem suam non solvisse modo, sed etiam augmentavisse. Jamque vitæ suæ pertæsus, altiori inhiare cum animo statuit. Itaque inutilis domino, utilior Deo, liberari se a negotiatione terrestrium orat, ut ad cœlestium transiret negotiationem. Et dominus virtute ejus captus, licet in filium eum, ut improles, legerit, rude donavit. Sic Joannes domini sui ex asse hæres abnuit esse, ut Dei fieret.

[1] Anno scilicet 1595.

CAPUT II.

DE STATU JOSAPHATI RELIGIOSO.

Vilnense monasterium ingreditur.

Proinde anno salutis humanæ 1604 in monasterio Vilnensi sanctissimæ Trinitatis religiosum sub auspiciis D. Basilii Magni induit, vota solemnia Deo vovit, nomenque Joannis, veteri more, in Josaphat mutatum accepit. Idque in manibus Hypatii Pociey archiepiscopi, una eademque peractum die: quod ejusmodi prolapsæ mos esset religionis, antequam ab ipso Josaphat et Josepho Rutscio ad meliorem reduceretur normam. Ab eodem postea intra quinquennium, statis temporibus, ad omnes presbyterii promotus est gradus. Archimandrita Vilnensis (quod abbatis nomen est apud Græcos) Samuel Sienczylo tum fuerat, vir simplex et amusus; sed quod gravius, schismaticus certior, quam unitus. Religiosi in eo monasterio, qui tyrocinium Josaphati vel consilio dirigerent, vel exemplo accenderent, nulli. Ipsa habitacula cadavera murorum potius et rudera monasterii, quam monasterium diceres. Verumtamen Josaphat longe patentem hic exercendæ pietatis reperit campum.

Exercitia ejus religiosa.

Cellula quædam, propter monasterii portam, et ecclesiæ propior aliis fuerat: hanc cœli et hære–

ditatis æternæ januam ratus, ita coluit, ut in ea vel secretior eremita, vel tumulatus religiosus esse censeretur. Notatusque ab omnibus, neque pedem ex ea in aream movisse : esto quandoque gravissimi e senatoribus Lithuaniæ viri monasterium inviserint. Hic abstractus a terrenis, cœlestibus intentus, diurnæ ac nocturnæ meditationis orationisque studiosissimus, hæsit. Quas adeo familiares sibi fecit, ut continuo ore ac mente revolveret. Est moris in Orientali Ecclesia, erectos homines, cum crucis signo et verbis prolatis : *Domine Jesu Christe, Fili Dei, miserere nostri, Amen,* demisso terram versus capite, inclinationes facere ; ut divinam tenerius et humilius venerentur majestatem. Quas Josaphat pernox et perdius millies frequentabat. Oratiunculæ vero huic jaculatoriæ, uno verbo addito : *Domine Jesu Christe*, *Fili Dei, miserere mei peccatoris*, ita consuevit, ut non duntaxat inter vigilandum, sed etiam inter dormiendum iterum iterumque repeteret : quemadmodum juvenis quidam, postea gravissimus ejusdem familiæ religiosus, Symeon Jackievicz, adnotavit, cum in ejus cella casu quodam vel inde insomnis quiesceret.

Sæpe sæpius etiam de media consurgens nocte, orationi dulciter horis aliquot intra cellam vacabat. Non raro in cœmeterium egressus, quantumvis algente cœlo, aspera hieme, incurvatis partim genibus, partim erectus, super rigentes nives, eidem incumbebat. Codicibus in eadem ecclesias- **Orationes et lectiones.**

ticis, slavonico idiomate scriptis impressisque, insudavit. Et ex illis ejusmodi arma in pervicax schisma conglobavit, quibus opinione fortius schismaticos expugnaret. Collectanea ejus slavonica de rebus fidei apud schismaticos controversis, ipse meis intuitus sum oculis : ex quibus postmodum libellus *Defensio unionis* dictus, vere pretiosus unio et mastix schismaticorum, ab illo, cum adjutorio nonnullorum, celato nomine, contextus, in lucem prodiit. Patrum ibidem præclara facinora, martyrum ardua certamina variaque spiritu Dei repleta volumina volvit revolvitque. Quibus se ipsum ad fortia agenda et patienda strenue armavit.

Mortificationes vari.

In victu non moderatior solum, sed ultra vires imbecillitatis suæ in se gravior, plurima se inedia afflixit: et refocillationis causa modicis et simplicibus, et quidem de stipe comparatis usus esculentis, omnibusque semotis poculentis, sola frigida quinquennio victitavit. Non amovendus alias ab illa, nisi ægra valetudine pressum obedientia superiores obstrinxissent, ut eam amoveret. Quinetiam inediam in aliquot prolatare dies consueverat. Piscibus raro usus : carnium esu, ab ingressu religionis usque ad supremum vitæ diem 25 annorum decursu, abstinuit. Esto stratum lectuli ejus admodum vile et pauper fuerit, imo paupere indignum; tamen illud etiam vix aliquando adhibuit, nuda contentus humo lateribus strata. In qua sola quandoque interula cilicina contectus,

quandoque habitu indutus, brevem durumque capiebat somnum. Lineum indusium toto prælerlabentis vitæ fluxu corpori non imposuit, cilicio setisque duris singulos in dies utens. Sub quibus cingulum asperrimum, ferreis distinctum certo ordine catenulis et uncis, ferre solitus est. Quibus membra in longum et transversim constringebat, ut carnem penetrarent vulnerarentque. Potissimum vero id egerat ante dies festiviores, et cum sacra Deo faceret.

Graves ejus corporis vario flagellorum genere castigationes describere universim perdifficile, cum non modo cæcos inter cellæ parietes, sed etiam in horto monasterii, et ubicumque potuit, sese dirissime, nonnunquam ad profluvium insontis sanguinis, flagellarit. Nocte toties intempesta, non minus temperatioribus anni tempestatibus, quam summæ quoque hiemis perfrigido illuc gelu, pedibus et capite nudis, solo indutus cilicio, per cœmeterium altis rigens nivibus, cella progredi observatus : idque ad magnum planumque lapidem memoriæ cujusdam funerati, retro ecclesiam monasterii, positum. Et quia ex eo schismaticorum cum ecclesia cœnobium cerni nullo poterat negotio, hic in se ipsum flagris gravius quam alibi ad sanguinem sæviebat. Videbaturque humanitatis oblivisci; quod rupta pedum cute sanguis manaret, et pedes ipsi ad saxum gelu accrescerent; nec sentire videretur, dolore propter ruptam Ecclesiæ unionem prævalente. Pedum ta- Flagellationes.

men inde non mediocrem contraxerat dolorem, ut etiam ægre incedere posset. Et sicut alias semper, inter cædendum, sic præcipue tum, corde intimo, rorans lacrymis, claris singultibus, suaviter revolvebat : *Domine Deus, tolle schismata, da unionem.*

Castitas.

In pueritia innocenti a Domino ipso, de cruce pendente, ad omne virtutis decus succensus Josaphat, cum adolescentiam in timore Dei extra religionem traduxisset, quam magnum ejusdem innocentiæ castitatisque se in religioso statu præbuerit cultorem, vel e severiore vitæ genere colligere licuerit. Prænobile nihilominus ipsi pergravis viri velificatur testimonium, quod eam ab ineunte ætate nec re, nec ore læserit. Cujus rei longe præclarius argumentum in eo quod subjicitur, videris.

Joachim Morochovius, episcopus Vladimiriensis, in Vita ejus.

Cum per ora hominum probitas vitæ Josaphati volitaret, malignus illi invidit spiritus, prostratique pudoris fæminam in eum animavit. Quæ laudi ejus probitatique coram hominibus insultans, cellamque ejus accedens, petulanter ad scelus juvenem pelliciebat. Severo Josaphat ore et verbis pro merito dignis eam primum asperavit. Cum vero nihil proficeret, arrepto fuste, qui casu quopiam illic repertus fuit, ita mulierem compescuit impudicam, ut bene se feriri sentiens, cum rubore et dolore propere abscesserit. Maximum huic rei momentum affert vox illa gravissima. Virgini Deiparæ sese totum devoverat, cui nedum aras

In relatione Rotæ auditorum ad Urbanum VIII.

erigi festivitatesque solemniter celebrari curavit, sed et semetipsum castitatis observatorem, instar templi, exhibuit. Sed hæc vox ad probandam viri Dei castitatem adhibita; de virgineo cultu inferius dabitur dicendi occasio.

Amor solitudinis.

Inde plerique civium primores sanctimoniam Josaphati suscipere, suoque in cella morantem accessu colere, ut grato pii juvenis fruerentur alloquio. At ille, quietem suam turbari sentiens, in internum sacelli S. Lucæ sacrarium, quod in vestibulo ecclesiæ fuerat, suam transtulit habitationem. Ibique apposita mensa sua, consuetæ meditationi, lectioni, scriptioni, vitæ severitati, cæterisque piis exercitiis, totum se consecravit. Nec ullibi quæsitus inveniri, nisi in hoc sacro potuit loco. Et egressus ejus, ut de cella, sic de sacrario, aut ad ædem sacram, propter reddendas Deo in choro laudes, aut ad mensam communem propter reficiendas modice lapsantes vires, aut alio, propter gravem aliquem necessitatem fuit. Cum Josepho tamen Rutscio eum invisente, quem biennio ad religionem præcurrerat, frequenter dulcia de Deo, de fide, de religione, deque omni pietate miscuit colloquia. Neque ullum unquam illi otiosum excidisse verbum, idem observavit: quem uti magnum virum ac ætate se provectiorem, cum non auderet palam, remotioribus cum omni humilitate et dexteritate modis, quandoque etiam per alias ad eumdem religionis statum trahebat personas. Et cum protelaret ille, desertum petere

voluit, quod neminem vitæ suæ in monasterio, non modo ducem, sed neque comitem haberet.

Dum ita suam exercet Josaphat vitam, venit Vilnam monachus ruthenus, Varsanuphius, rerum ecclesiasticarum probe gnarus et slavonicæ linguæ cum primis peritus : cæterum in dogmatibus fidei simplex et rationis per intervalla impos. Hic viro Dei adhæsit; et cum divinis de rebus ipsi suaviter enarraret, redire ad mentem audireque ferventius avebat. Idcirco probitatis de illo veræ magnam concepit opinionem; ratus eum pro Christo, ut fieri poterat, simulatam insani formam induisse. Proinde æmulari quoque eum, et alios hac in re sanctos, ex simplici suo in Deum amore intenderat; nisi a gravioribus viris, crediderim Valentino Fabricio, Gregorio Gruzewski, Societatis Jesu patribus, præpeditus fuisset. Quippe ab eorum ore totus pendere : his ipsis coram vitæ suæ rationes, cordisque et conscientiæ in sacro tribunali secreta frequentissime denudare solitus est.

Zelus animarum. Ita sanctis operibus a turbis humanis abstractus Josaphat, se ipsum armaverat, ut in arenam publicam felicius prosilire posset. Non tamen unquam superiora exercitamenta a se amandavit, quippe qui sui semper zelaret salutem; sed proximorum longe quam dici fingique potest, ardentiorem adjecit zelum : ut vel eo severa pietas cresceret, et zelus ipse pia severitate flammesceret. **Josaphat diaconus.** Diaconus erat Josaphat, cum sensim prodire in lucem cœpis-

set : tunc simplices ad pietatem formare, cum schismaticis de rebus fidei concertare. Et hos quidem suavibus et solidis victos rationibus , Ecclesiæ sanctæ aggregare, illos ad eluendam conscientiam et sumendum divinum epulum inducere. Refragantes precibus, lacrymis et nummis ad id faciendum evincere, atque ad sacerdotes ipsos adducere. Eosdem, si aures præbere pœnitentibus recusarent, precibus humilibus exoratos, lacrymis etiam adigere. Multam insuper ille juventutem, jam verborum piorum efficacia, jam virtutis suæ specie, ad eumdem religionis statum , in quo ipse fuit, feliciter pertraxit. Jam et Josephus Rutscius, ut columna ignea, quæ viam monstraret, ut umbrosa nubes, quæ in æstu adverso protegeret, parvulo unitorum religiosorum aderat et præerat gregi.

Ad unionem, pœnitentiam,

religionem inducit multos.

Quare schismatici, rem Unionis in dies crescentem intuentes, fremere ruinamque illi meditari. Et collatis impiis clanculum capitibus , Samuel Sienczylo archimandrita, Bartholomæus Zaszczynski protopresbyter, cum aliis presbyteris civibusque Vilnensibus, necessitatem quamdam adornant, et Josephum Rutscium post viginti leucas amandant, quo felicius Josaphatum ab eo divisum expugnent. Permagni siquidem æstimabant eum : ut dictarent etiam aquam ablutorum ejus pedum bibituros; et si partium suorum foret, victores Unionis evasuros. Solum ergo illum compositis ad id precibus , adoriuntur : ad eorum transiret cogitata : veteri orthodoxiæ opitularetur : monaste-

Conspirationes schismaticorum.

rium et se ipsum potestatis eorum faceret. Obtrudente illo, Josephum conatibus eorum obviaturum: dummodo ipsis adhæreret, modum, aiunt, habituros, penitus eum Vilna abigendi. Recusavit Josaphat, et pretium constantiæ ab archimandrita, insignem colaphum accepit, de quo nisi triennio post non revelavit. Porro ad prædium proficiscens archimandrita, religiosam juventutem ad Josephum Rutscium, uti ejusdem magistrum, remitti præcipit. Ambiguus rerum Josaphat, cum hinc lædere mandata vereretur, hinc discrimen occupandi a schismaticis monasterii, adverteret, Valentinum Fabricium, Societatis Jesu, convenit. Is re concepta ad Josephum Rutscium, ex nunc tabellarium cum litteris, suis quoque adjectis, expediendum consulit: in summo res Unionis locatas periculo: nisi actutum accurreret, omnia ruitura. Febri licet distineretur etiam in itinere Josephus, tertio tamen paroxismo Vilnam advolavit. Atque cum jubilum sanctissimæ Triadis *Te Deum laudamus* persolvisset, febris eum deseruit: dum occurrit nimirum unionis incendio, etiam febrile restinctum incendium. Eodem die regressus archimandrita, Josaphatum asperrimis inobedientiæ coarguit verbis. Cui ille: frustra juventutem mittendam fuisse, cum et Josephus advenisset. Quasi mucrone transactum vidisses archimandritam: Josephus enim et eruditione magnus, et nobilitate potens, et patrocinio magnatum munitus erat. Ut vero majori polleret auctoritate, Vicarius

Constantia Josaphati.

Generalis totius Russiæ a metropolita creatur.

Frendere ideo clam e clero proditores, palam tamen subjecti : dum se quiescere simulant, subornant cives. Quorum tres præcipui, subvertendi Josaphati provinciam assumunt. Honoris ergo invitatur Josaphat a quodam in ædes suas, in quibus alii latebant duo. Et ne testis adesset, religiosum Josaphati socium, mollibus persuasum separant. Tum omnes comparentes gratiose perorant : scire ipsos, impense ab eo Deum et gloriam ejus amari : gentem et ritum suum animitus coli. Illuxisse diem, quo oppressa Ruthena Ecclesia erigat caput; idque solo ipsius nutu perficiendum. Adesse sibi clerum, illum deesse. Vitam in eo suam fixam, miseresceret eorum : donaret eam et se ipsum illis. Cum dictis ad pedes ruere, et refraganti exosculari. Animi pendens ille, quid in ea diceret, aut sileret arena. Dixit tamen : non in eo rem positam; majus pondus in Rutscio. Atque cum hic morarentur, nec Josaphat flecteretur, in acriora prorumpere, vitæ minitari, et jamjam irruere. Quippe alius, ut exitum præpediret, foribus obseratis, spirans violentiam, in limine constitit. Alii duo ad vim passis prompti manibus, hinc inde eum cinxerunt. At ipse : in re tanti momenti se consulturum Deum, et luce sequenti responsurum. Acquiescere quidem viri, sed adjecere : si dare manus abnueret, hebdomade ista, urbe decederet.

Schismatici Josaphatum tentant.

Rediens tandem ad monasterium, Rutscium cum aliis consultantem reperit, quod jam conspi-

Responsum Josaphati schismaticis.

ratio enotuisset ; attonitis trepidisque subjunxit : se in inferno fuisse, et diabolica verba, quibus ad proditionem fidei induceretur, audivisse. Postridie nil minus quam redire cogitantem Josaphat scripto invitant illi. Sed rescribit iste : se, ut promiserat, Deum consuluisse, qui de ipsis dixisset : *Cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.* Se ipsum vero monitum : *Oleum peccatoris non impinguabit caput tuum.* Proinde quiescerent et valerent. Sed inquieti iterato minis precibusque armatam scripsere invitationem ; ad quam ne verbum quidem Josaphat. Aiunt nonnulli vitæ ejus scriptores, clausum eum in ecclesia et in faciem projectum, cum lacrymis a Deo, ad convincendos adversarios, lumen petiisse. Et cum clare sonantem per ecclesiam vocem : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*, audivisset, ea confortatum superiora rescripsisse.

Conspirationes schismaticorum revelantur.

Patescit interea nonnullis e magistratu Vilnensi per quemdam ruthenum, proxima die solis ad ædem sanctissimæ Trinitatis unitorum confluxuros ad matutinas preces schismaticos, et prodeuntes ad medium templi, in sacro ornatu, cantatum doxologion, prout moris est, quosdam monachos per plebem rapiendos cædendosque : ædem sacram et monasterium occupandum. Deferunt hi collegis, omnes officio castrensi et Demetrio Karp vicepalatino ; is Nicolao Radzivil palatino, extra urbem existenti. Ex nunc ille rescribit : moneret et unitos, invigilarent in tanto periculo : et archi-

mandritam una cum protopresbytero, ne quidquam tale præsumerent, capitum suorum discrimine : et magistratum, provideret machinationibus multitudinis compescendis. Ocyus ex magistratu quidam sciscitaturi ad unitos descendunt : quid cum Josaphat tres illi cives egerint capiunt, et ad curiam eos evocant. Armatur civitas, cingitur monasterium excubiis. Magistratus in curia, de sabbato in dominicam, cum selecto robore pernox vigilare; suas etiam e castro jungere vires vicepalatinus. Et cum antelucano tempore ad matutinum campana sonuissent uniti, arcis præsidium primum supervenit. Atque ita, Deo constantiam Josaphati munerante, grex pusillus unitorum salvatus est. et reprimuntur.

Magnum ab inde Josaphat apud schismaticos demeruit odium; quod existimarint, illo auctore, suos pessum ivisse conatus. Ita ut foris comparentem clamoribus, cœno, lapidibus insequerentur, et amusum, impostorem, impium vocitarent : quo virtutem ejus plebi commendatissimam deturparent. Verum Josaphat, crescere eam adversis, sine hoste marcescere gnarus, hæc odia nihili reputavit. Ac ut fortior in palæstra sanctæ ecclesiæ athleta evaderet, etiam si latii sermonis expers fuerit, ad altiora, magis tamen necessaria, philosophiæ et theologiæ arcana animum applicuit. Quæ ipsi, tum ut amorem virtutis in eo splendentis testaretur, tum ut zelo ejus plane divino gratificaretur, vir toties mihi prædicandus Valentinus Fabricius, theologiæ professor Societatis Jesu, Vilnæ, slavonico

Odia eorum in Josaphat.

Josaphati studia.

idiomate exacte tradidit. (Quem Josephus Rutscius, postmodum Russiæ metropolitanus, zelosissimum Unionis tunc nascentis fundatorem et propagatorem, virum plane apostolicum nominat, ejusque memoriam apud nos et posteros nostros in benedictione esse debere asserit.) Non ingenii vero solum, ac memoriæ tenacioris, judiciique permagni acumine, sed etiam spiritus divini operatione vel maxime, tanto Josaphat magistro dignus evasit discipulus. Grave illud testimonium de eo Congregationis sacræ de Propaganda Fide prolatum, ponderare liceat. Theologicas vero difficultates circa mysterium sanctæ Trinitatis, et alia hujusmodi facilius intellexit, quam subtilissimus quisque sibi explicare potuisset. Talibus instructus ille armis, audentior in hostes Ecclesiæ, hæreticos et schismaticos ibat, quibus slavonicas ex libris ecclesiasticis et doctoribus, in eam linguam translatis, collectas adjungebat auctoritates, et strenue feliciterque de ipsis et eorum salute triumphabat. Nonnunquam acriores schismatici, eruditiores vel suos, vel hæreticos, ad concertandum cum Josaphat de rebus fidei evocabant, ut ejus inertiam suis confunderent argutiis; sed ipsa gratia Dei, in labiis Josaphat diffusa, semper confusi stupentesque, unde hæc illi sapientia, recedebant.

Supplicationes ad Urbanum VIII, anno 1624, novembris prima.

In presbyteratu labores.

Cum sacrum presbyterii ascendisset gradum, mirum sane quam erudito, vivaci, potenti, felici de sacris rostris pro concione ad populum uteretur sermone. Catecheses de fidei articulis, præcipue

unitos inter et schismaticos controversis, et suavi et ad captum facili ratione enarrare illi perfrequens fuit. In foro, plateis, domibusque, in viis etiam, per diversoria, villas et oppida, simplices quoque, aut orationem Dominicam, aut fidem sanctam edocere, in deliciis habuit. Hinc alii, de parentibus etiam schismaticis, ad religionem, alii ad catholicam unionem fluere toties visi. Nec unquam aliter factum, cui vel joco dixisset eum futurum unitum. Inhibitum proinde a clero schismatico, ne sui asseclæ verbo Josaphatum compellarent : quod gentem suam perverteret. Quapropter a catholicis *flagellum schismaticorum*, ab his *Duszochvat*, hoc est *raptor animarum*, dici meruit. Quod scomma, ut plausum haberet, in una eademque tabella Hypatio Pociey archiepiscopo et Josepho Rutscio, in persona quolibet sua et habitu depictis, Josaphatum maligni spiritus specie, cornibus prominentibus, facie truculenta, unco dextræ manui imposito, quo subjectas trahebat animas, cum lemmate *Duszochvat*, efformavere. Gaudio gavisus Josaphat avebat contumeliam pro nomine Jesu pati; schismaticis autem aiebat : *Utinam omnes vestras animas ad Deum raperem.*

Zelus animorum

et conversiones.

Scomma schismaticorum.

Nec vero minus ad fidem sanctam, quam ad omnem probitatem, cum odore suæ vitæ, tum suavis alloquii gratia, Josaphat homines deducebat. Felix enim munere presbyterii, cum antea aliis confiteri peccata pœnitentes induceret, tum frequentiores precibus et lacrymis inductos, ut

Labores Josaphat.

coram se cordis sui secreta effunderent, habebat. Et non modo in urbe, sed etiam in itinere quandoque subsistens, hoc opus sanctum, pecunia rusticellis data, felici exitu urgebat. Quo schismaticos argueret, qui pro confessione pecuniam emungentes, ab eadem reverberent. Casu fortuito in trajectu præcipui Lithuaniæ fluminis, *Chronon* latina, *Nemen* nativa lingua dicti, plurimi ad littus confluxere homines, commoditatem trajiciendi aliquot diebus operientes, in tantum suavi suo egit eloquio zelosus Josaphat, ut omnium confessiones exceperit. Qui duplici perfusi gaudio flumen transierunt : cum et maculas animarum eluerint, et flumen glacie rigente concreverit. Cœlitus videlicet et pœnitentium pietas et Josaphati charitas comprobata.

In relatione Congretionis de Propaganda Fide ad Urbanum VIII.

Josaphati præpositi labores.

Proditore unionis archimandrita memorato per metropolitanum e monasterio Vilnensi ejecto, et Rutscio in archimandritam subrogato, accrevere Josaphato labores, sed non decrevit promptissimus ad labores animus. Ipse vicarius, paterfamilias, jurium patronus. Idem ipse stipem acquirere, pro suggestu prædicare, confessorem religiosorum et religiosarum, laicorumque agere in monasterio; fratrum excitator, in choro director, cantor, lector; in altari perpes Dei sacerdos, cum singulos in dies anima per confessionem depurata, purissima sacra Deo fecerit. Esto enim ad Deum fontem vivum in sacris Eucharistiæ mysteriis, sæpius ipsi accedere, etiam anteacto tempore fuerat dulce; longe tamen dulcius, cum presbyterii munus as-

Quotidie celebrat.

sumpsisset. Quod officii istud sui potius, non frequentatæ esset devotionis, quam semper celari percuperet. Reperire licet inter Unitos Josaphati icones, quæ ipsum in sacrificio cum sacro calice ad populum conversum effigiant. In cujus medio puerulus Jesus, et sacrificanti alatus appictus cernitur diaconus; quod gravissimi viderunt et attestati sunt homines, cum diacono seu angelo, etiam Dominum angelorum, post sacrificium disparuisse. A memoratis laboribus et divino sacrificio, nec raro ab ipso pœnitentium tribunali regressus, pulpitum sacrum ascendere et ejusmodi rem pro concione ad populum habere solitus, ut eam nisi solo Dei instillante spiritu, proferre nemo potuisset. Fervente quadam concione in ecclesia facta, grandem multitudinem, ut sibi confiteretur, præstolantem advertit; sed cum ipse ob certa negotia id operis subire nequiret, probatæ virtutis patrem Simeonem Jackievicz, religiosum ordinis sui, orat, pœnitentibus inserviret. Imparem se tantæ expiandæ multitudini, cum iste sua gravatus debilitate diceret, pedibus ejus cernuus advolvitur, et submisse precatur, ut pareat. Annuit iste, et Deo roborante omnes expiavit.

In calice D. Jesu, sacro assistens angelus visus.

In hisce tamen operibus cum semper lætitiam vultu præferret angelicam, tum nunquam sibi dissimilis, nocte dieque in lectione, in oratione: jejuniorum studiosus, ultimus ad quietem, primus ad vigilias, comis in alios, severus in se, ciliciorum tenax, gravissimas quotidie, ut egit, sic nun-

quam abegit a se flagellationes. Ne scruter cætera, quæ apud nos incuriosa simplicitas, ipsius demissa sui æstimatio, atque in cœlo testis et conscius in excelsis obumbravit. Neque tamen sileri patiar illud quod plurimi intuiti religiosi, luce clara videlicet cellam ejus, dum se acriter flagellaret, igne quodam exarsisse. Sopituri ergo incendium, cum aqua universi accurrunt; sed igne illo mox evanescente, Josaphatum, post peractam flagellationem, crucis in modum super terram orantem advertunt, et Deum dominatorem cœli abeuntes collaudant.

Lux in flagellatione cernitur.

Schismaticorum seditiones.

Invaluerat per potentiam magnatum schismaticorum in Russia et Lithuania schisma. Quod cum variis in locis, præcipue Vilnæ, Unitorum eripuisset ecclesias ipsasque cum facultatibus cathedras, legibus etiam regni in comitiis anno 1609 firmaverat: possessa ab utrinque tenerentur, nec partes invicem, sub grandis pecuniæ mulcta, sese inquietarent. Conclamatumque fuisset de Unione, nisi immortali memoria digni Hypatii Pociey metropolitani labore, Sigismundi III Poloniæ regis, eximii Unionis patroni gratia, obviatum fuisset. Impotentes iræ schismatici nefandum moliuntur facinus. Præsente regia majestate, senatorum potentia, nec veriti leges, Deo vindice posthabito, satellitem quemdam, perfidiæ suæ alumnum, sacris profanisque inescatum promissis, qui metropolitanum trucidet, subornant. Abeuntem ad scelus manibus super impositis benedicunt, et votis publicis in

templo effusis prosequuntur. Consecrari a zelosis hisce orthodoxiæ cultoribus eum sicarium, ad victimam ex metropolitano faciendam, dixisses. Eodem itaque anno mense julio, in urbe Vilnensi, luce et palam, fori medio, virum annis gravem, stirpis senatoriæ, et ipsum senatorem ex castellano Brestensi Russiæ archiepiscopum, hinc inde suo clero, nobilitate consanguinea, crebro famulitio, in via stipatum, latro ille atrocissimus a fronte aggreditur. Et nec advertentibus romphæam exacutam veste occultatam, adeo crudeliter in collum stringit, ut oppositæ ad ictum sinistræ manus duos digitos cum medio, scipionem quo nitebatur, annulum et in eo saphirum super digito, catenam auream de collo duplicato pendentem, collare vestis binæ, persecuerit. Miraculo fuit collum illæsum, signo plagæ rubro apparente. Creditus tamen occisus fuisse, cum in terram corruisset. Sicarius licet tumultu suborto evadere potuisset, mox apprehensus, ut testimonio esset egregii schismaticorum zeli. Uniti cum pastorem et dominum suum, cruentumque confessorem ad proximam senatoris unius aulam detulissent, rex miseratione sua, senatores concursu, dolorosa omnes veneratione, virum tantum coluere. In templo vero sanctæ Triadis Unitorum Josephus Rutscius, archimandrita, et religiosi mixto fletu et gaudio, sanguinis ex Unione primitia et desectos pastoris digitos in altari depositos, jubilum *Te Deum laudamus* concinentes, Deo et Petro obtulere.

Vilnæ Metropolitanus vulneratur.

Tragœdiæ hujus memoria in tabella argentea iconi Deiparæ Vilnensi oblata, in hæc usque tempora superfuerat. Cui epigraphe ab Hypatio additum : *Castigans castigavit me Dominus, morti autem non tradidit me.* Sed dum deprecante eodem veniam, non impetrante, auctor facinoris divisioni partium adjudicatus fuisset, accurrit Josaphat, et perditi hominis emollit duritiem, ad sceleris agnitionem, ad sacram exomologesim, ad dolorem, ad lacrymas inducit. Neque ad ultimum deserit spiritum, cum ascendente supplicii theatrum ipse ascendit. Non multitudinis innumeræ aspectum erubescens, nec militiam plurimam exequendæ securius justitiæ adhibitam veritus, verbis spiritu Dei plenis reum cohortatur, ut pœnas demeritæ mortis cum spe vitæ melioris lueret : demirando sane divinæ in peccatores clementiæ, et charitatis Josaphat in hostem pastoris sui, documento.

Sicarii pœna. Josaphat eum convertit.

Quin etiam omnibus ille aliis scelerum damnatis, quasi nemo adesset, eumdem præstare amoris affectum non destitit, donec ipsos spiritus destituisset. Neque nox intempesta, neque hiems quantumvis perfrigida, neque ulla importuna temporis tempestas, a servitio talium avocare eum potuit. Lætitiorem quispiam illum ad hæc obsequia euntem, quam ullum alium ad opima vidisset convivia. Ad serviendum infirmis non modo in xenodochio, sed etiam in sterquilinio jacentibus, quis eo velocior? quibus in mucidis constratis lectis, porrecto manu sua cibo potuque, in confessionibus

Ad mortem damnatis et infirmis inservit.

Ulcerosos osculatur.

humiliter auditis, et sacra synaxi cum lætitia præstita, postquam inservisset, vel purulentos pretium erat lambere et exosculari pedes. Vile cujusdam tuguriolum ægri, ulceribus scatentis, et gravem exhalantis odorem intraverat, ut peccata sua confitentem exciperet. Sed cum socius tergiversaretur, manu prehensum induxit, memorans, momentaneo fætore æternum commutaret.

Probitate ejus allecti primores Lithuaniæ certatim eum ad se quisque pertrahere. Hieronymus Chodkievicz, castellanus Vilnensis, celeberrimum monasterium Suprasliense tradere. Joannes Meleszko, castellanus Smolenscensis, quem e schismate Unioni lucratus est, Zyroviciense offerre. Gregorius Tryzna, marschalchus Slonimensis, Bythenium invitare. Josaphat humilitate sua cum abnuisset Suprasliam, voluntate præpositi Josephi, Bythenium descendit. Isthinc translatis ordinis nostri monialibus Pinscum (pro filia quippe sua aliisque memoratus Tryzna illud erexerat), monasterium virorum habitationi destinavit, personasque locavit. Quod postmodum tyrocinio ordinis sacratum est. Zyroviciensem porro locum, tum primum a clero sæculari receptum, in monasterium redegit. Cujus regimine assumpto, ædificiis illud, amplitudine ecclesiam ornamentisque sacris decoravit. Devotionis cultum ad miraculosam illic Deiparæ imaginem introduxit. Quo factum, ut non modo dictus Meleszko cum aliis, sed etiam Leo Sapieha, tum Magni Ducatus Lithuaniæ cancellarius, vir

Magnatum affectus in Josaphat.

Zyroviciensis fit præpositus.

primatum ejus summus, liberalitate sua ædem sacram et monasterium ditarint. Exinde locus hic sensim miraculis amplissimis crescere cœpit, ut ad triginta mortui, ne memorem alia, potenti Virginis apud majestatem divinam manu suscitati fuerint.

Hæreticum et alios convertit.

Hic etiam Josaphat plerosque nobiles, e schismate in hæresim prolapsos, concionibus et suavi sermonum comitate, tum ad ritum latinum, tum ad græcum catholicum reduxit. Quos inter Soltan quemdam, acerrimum ex Rutheno hæreticum, in proxima monasterii sylva secum concertantem et blasphemias eructantem, Dei cooperante digito, eum in modum emollivit convicitque, ut ibidem lacrymis obortis, Josaphati pedibus advolutus, confessusque ad gremium Ecclesiæ catholicæ redierit.

Fit archimandrita Vilnensis.

Post obitum metropolitani, Josephus Rutscius ad eum ascendit gradum. Cum vero regimen Vilnensis monasterii vacaret, ad illud sumendum invitum Josaphatum Josephus coegit. Quod in annum restauratæ salutis humanæ 1614 incidit. Cruentis sane Josephi et Josaphati sudoribus, hic locus longe vilis et pauper, crescere ædificiis, censibus, religiosis, sacris ornamentis, jam antea cœperat; assumens vero ejus gubernaculum Josaphat, longe adauxit. Et quia id tempestatis, juvenes omnes religiosi fuere, omnia fere unus munia suis suscepit humeris: superior, vicarius, tyronum ma-

Ejus labores in hoc statu.

gister, ecclesiastes, paterfamilias, œconomus; præterquam quod excitare fratres, lumenque illis

afferre, pulsare ad ecclesiam, eamque aperire, canere in choro, et æditui vices agere, exhortari tyrones, meditari cum illis consueverit. Nec unquam sustinuit, quin domi forisque, nocte dieque excipiendis confessionibus invigilaret, cum schismaticis in dies concertaret, pauperibus, ægrotis, incarceratis inserviret, omnibusque omnia fieret, ut omnes salvos faceret. Perpetuum sane miraculum fuit, eum unum tot et tanta munia obire potuisse. Quæ cum jugi cordis lætitia, cum præclara in rebus prudentia, cum singulari omnium satisfactione exequebatur; ut natus factus ad omnia censeretur. Deinde cum neque nocturnas diurnasque preces, neque antelucana, serotinaque flagra, neque cilicia ferreaque cingula, neque humi cubationes strictaque jejunia, ullo unquam intermiserit tempore, grande aliud miraculum esto, quod tot muneribus et laboribus debilitati obnoxius homo non succubuerit. Stratum lecti pauperrimum in hoc statu nunquam mutavit. Cultiorem vestem aliis nunquam tulit. Et cum illi civium quidam e pretioso obtulisset panno vestem, orans ut ob amorem sui gestaret; mox ut ex quodam e fratribus quasi hoc alii ægre ferrent intellexit, alteri portandam tradidit, viliori ab illo sibi ad usum accepta. Cum Zyroviciis et Bythenio evocatus Vilnam rediret, marschalcus Slonimensis Tryzna ex affectu suo, pro superiore illi suffulcienda veste, pelles præstantes dare intenderat vulpinas; sed recusaturum subodorans, clam eo, in pannum

Paupertas.

insui mandavit, curruique imponi. Josephum vero Rutscium per litteras precatus est, valetudinis et honoris causa, uti illis eum adigeret. Annuit Rutscius; sed illo abscedente, Josaphat, submissionis et paupertatis quam sui commodi amantior, fratrum prætendens indigentiam, pellibus e veste erutis, pileos subduci curavit. Cum sonora et devota in cantu voce ut plurimum minores ad devotionem accenderet, lacrymis etiam inter psallendum effusis, ad lacrymas movebat. Et licet omnibus paternum monstraret affectum, præcipue tamen litterarum studiosis, pro quibus, ut plus temporis studiis impenderent, sæpe monasterii nonnulla obsequia subibat. Erga fragiles benignus, cum quidam, ut hominibus accidit, cujusdam defectus ab eo comiter argueretur, subsannare temere alius, et graviter objurgare; cui Josaphat: si staret ipse, timeret, ne caderet. Quo adeo compunctus, ut nunquam posthac ulli oblocutus, seipsum introspiceret. Communia reficiendi animi post mensam colloquia frequentare etiam ipse non tardabat, et in charitate non ficta, blande modesteque sermocinabatur; at cum ob modicum noctis somnum quandoque fessus dormitaret, alii vero ad levia et otiosa effunderentur, mox expergisci, arguere, et ad loquendum de rebus saluti proficuis inducere benigne solebat. Evenit, ut frater quidam e prædio ad monasterium revertens, pallium amitteret: cum timore igitur veniam precaturus, viro Dei advolvitur. Ipse consolatum eum suavibus ad

Benignitas.

ecclesiam oratum remisit. Benignitatem certe suam et modestiam notam fecit omnibus; quibus virtutibus non amorem modo apud suos exterosque, verum etiam venerationem, ut angelus Dei, promeruit.

Dei providentia cum eo.

Etsi vero exiles tum reditus monasterium habuerit, nihilominus Josaphat 60 religiosos aluit. Adde musicos qui frequentes fuerant, et famulitium, quod ad curam rei familiaris adhibebatur. Omnes quippe illi, non Dei solum amore, sed etiam illius personæ, liberalem conferebant stipem. Quam in ædificia quoque ac ornamenta sacra copiose effundebat. Pauperum, viduarum, orphanorum, miserorum omnium, ut ante, sic in hoc officio singularis patronus. Quare turmatim ad ipsum confluere : prodeunti ex ecclesia, monasterio, in plateis, occursare suasque illi necessitates enucleare. Quibus non modo e penu monasterii universa elargiebatur, sed etiam data opera, pro illis mendicabat, ut in illos effunderet; doluitque si qua die nihil in pauperes erogasset. Ære alieno gravatam viduam immisericors premebat creditor; illa a Josaphat subsidium poscit. Misertus ipse certam designat horam, qua rediret. Miserationem interea divinam in ecclesia implorat. Egredienti juvenis præstans obviat, involutosque charta 50 nummos aureos a domino suo præsentat. Nec, quæsitus a quo esset, revelavit ac disparuit, angelusque Domini fuisse creditus est. Josaphat mox viduæ supervenienti, nec introspiciens quid quantumve esset, reddidit. Abiit consolata, sed cum

In pauperes largus.

Stanislaus Kosinski in Vita ejus.

plus reperisset, quam deberet, viro Dei retulit. Ipse vero: totum illud cœlitus ei missum; haberet proinde, et inopiæ suæ subveniret. Cum ob crebras eleemosynas in pauperes erogatas, necessariis monasterium deficeret, mirabili Dei sublevabatur providentia. Præterquam enim quod undique affluente hominum largitate ipsi subveniretur, per quietem etiam et sub noctem patronis suis comparere, et monere ad juvandum illud solebat. Quod sæpius sibi evenisse Ignatius Dubovicz, prædives consul Vilnensis, et filius ejus, postmodum religiosus noster et archimandrita Vilnensis, professi sunt. Per quem ille somno levatus, ex nunc frequentes et magnas eleemosynæ suppetias Josaphato submittebat. Quadam vice tanta inopia, propter eamdem in pauperes Josaphati liberalitatem, monasterium presserat, ut nihil superesset, quo religiosi reficerentur. Josaphat cum fratribus in ecclesia oravit Dominum; en tibi quinque currus variis alimentis onusti comparent cum servis, quasi a domino quodam missis, et rogati cujus essent, reticuerunt, brevique abscesserunt: creditumque a Domino cœlorum, merito Josaphati. Quod frequentius etiam usuvenisse in processu asserunt testes. Addunt nonnulli, nil tum pro prandio coctum fuisse, proinde etiam cibaria recens cocta cum potu præstantiore ipsa hora prandii allata; quibus refecti omnes Deum mirabilium patratorem collaudavere. Orphanorum causam et viduarum a potentiorum injuria, cum verbis tum

Inopia monasterii.

Mira Dei providentia.

litteris, in judiciis quoque tuitus est. Et quod amplius, quiescentibus somnoque sopitis comparens monebat, miseros ne injuriarentur. Negotiis domi peractis, ad civitatem prodire moris habuit. Ubi nihil illi frequentius, aut optatius, quam simplices erudire et ad confessionem pertrahere. Fœnum et ligna cibariaque vendentes, ad monasterium secum ducere, nec prius dimittere quam conscientiam depurassent. Quo peracto, tractare etiam illos pro modulo consuevit: ut in posterum sua sponte res ejusmodi monasterio inveherent, instructi confiterentur, et solutionem accipientes a Josaphato tractarentur.

Terrores nocturni per Josaphat sublati.

Terrores nocturni in ecclesia monasterii fuerant suborti. Ante medium quippe noctis, aperiri portæ vestibuli, reserari fores ecclesiæ, multitudo tumultuantium spectrorum ingredi, larvam catenis strepentibus ducere, terribili cum sonitu huc et illuc raptare. Gallicinio approximante, cum iisdem terriculamentis, ad certum cœmeterii locum monstrum reverti et disparere. In exitu vero ecclesiæ exsurgente turbine, et foribus sese claudentibus, tantus fieri fragor, ut omnia ruere, ac subverti crederentur. Insomnes toties religiosi, consumi plane hoc terrore videbantur. Ecclesiam noctu adire, etiam plures simul, nec audebant nec poterant. Josaphat, Deo Domino conjunctus, ita hosce suspiciebat terrores, ut potius despiceret. Quare certa nocte, adhibito comite, januis lateralibus vestibuli et templi apertis, ecclesiam ingreditur; et accensis cereis, sacram cum divino ferculo

exponit pixidem. Interioris adyti fores, ut aiunt, regias recludit. Socium admonet, ne expavesceret, sed fixo in aram Dominumque cœli obtutu, orationi vacaret : nec superventura respiceret monstra, et eventum rei serio premeret. Ipse totus effusus in Deum ardentius orare cœpit. Adfuit hora potestati tenebrarum : ecce vestibuli et ecclesiæ cum sonitu patuere portæ : vehemens consurgens turbo cereos extinguere adnititur : magna monstrorum frequentia, variarum gentium induta vestimentis, procedit : trahitur catenatus spiritu movente æthiops, jaculantibus ignem oculis, quam dici potest horribilior, horridumque strepitans ferro a cæteris monstris circumagitur. Ad altare etiam affluunt, et adyta introspiciunt. Tum Josaphat, sinistra lumen, dextra pixidem sumit, extra adytum prodit, infernales conjurat lemures, præsenti Deo cederent, locum non inquietarent, inferna peterent. Cedere sensim monstra, et post, cum impetu fugere. Atque cum inaudito occlusissent fragore januas, templum corruisse visum; sed laterales non conclusæ. Quibus servus Dei cum divino erumpens in cœmeterium præsidio, omnibus disparentibus, cadaver in scrobem cum boatu ruens, terra sese super infundente, advertit. Locum signat; et cum ea de re certam informationem sumpsisset, sepultam ante isthic, magni sed mali nominis feminam impœnitentem, accitis vespillonibus, erui nocte altera cadaver et in campis defodi mandat. Sic reddita universis quies,

Stanisl. Kosinski in Vita ejus.

mirantibus et de virtute Josaphat conjectantibus. Nec tamen ulli certi quid, nisi triennio post, e gravioribus uni patuit, et divulgatum. Sed non desiit infernus novellum Unionis gregem vel ipsis damnatorum spectris, forsitan in fidei sanctæ constantia, perturbare. Alîud cadaver a maligno assumptum dæmone, ferratis onustum catenis, circumcursare ecclesiam, circumstrepere ferramentis, et nola excitatoria intempestive pulsare consueverat. Sæpius exciti hac larva religiosi non mediocri perstringebantur terrore. Verum istud quoque terriculamentum, oratione primum, dein simili observatione cum silentio effodi, atque extra homines sepeliri curavit Josaphat. Ipsum quoque nocte quadam intempesta orantem inimici salutis humanæ infestavere spiritus. Quos ille cruce sacra, et lustrali prospersos aqua, momento a se abegit.

Feminam, civem Vilnensem non postremam, schismatis quam par erat zelosiorem, invisens vir Dei modestis cohortari ad unionem cœperat verbis. Impotenter exarsit illa, et atrocibus afficere properabat verberibus. Subridens ille, ne visitaturum quidem eam fuisse, si ansam iræ et peccati præbiturum putavisset, veniamque precatus, ex nunc recessit. Mox cor tangente Deo, resipiscens femina indoluit, et cum lacrymis domo procurrens, ad pedes procidit, deque facili conversa, postmodum tam fervens in Unione fuit, ut alias feminas converteret, monialesque schismaticas sæpius invisens in fide sancta dirigeret.

Schismaticam convertit Josaphat.

Vadit Kioviam.

Pro munere suo archiepiscopali medios inter hostes, Kioviam ad cathedram profecturus Josephus Rutscius, secum Josaphatum assumpsit. Is in itinere nunquam, oblitus sui, animarum deperibat salutem. Et cum multos rudiores confiteri sibi persuasisset, pro sancta synaxi Latinos quidem ad latinas, Ruthenos ad ruthenas dimittebat ecclesias. Mulierem quoque ætate juvenem, facie honestam, sed vita prostitutam, in diversorio quodam ad detestationem infamis induxit consuetudinis: ut eidem confessa scelestas e nunc illecebras valere jusserit. Kioviam ut appulerant, non moratus Josaphat celebrius schismaticorum monasterium, a cryptis vulgariter Peczarense dictum, adire properat. Cui Curcevicius de principibus Russiæ oriundus, monachus an archimandrita, servis et canibus venaticis, obvium sese tulit. Et rogatum Josaphatum quis esset, cognitumque gravibus conviciatur verbis, proditorem patriæ, animarum seductorem, impostorem omnium, trucidandum mergendumque minitatur. Ille, se pacis studiosum esse, ire unicum, nec quidquam moliri velle, aut posse. Ut hospitem fratres visurum et allocuturum. Mirarique se in regula D. Basilii non legisse, ut religiosis venari liceret. Paulo remissior Curcevicius Josaphatum quo vellet ire, permisit. Adstitit tandem portæ, pulsavitque, et quis esset denuntians, præpositum per ostiarium ad colloquium oravit. Is communis dato nolæ signo, ad refectorium omnes excivit monachos: adesse *Duszochvatum*, sive raptorem

Schismaticorum convicia subit.

animarum : viderent quem optaverant. Turmatim ultra centum confluxere, imperio velociores. Et primum indignabundi mussitare : ut quid venerit? Dein frementes conviciari, ut nec hiscere integrum fuerit; insuper violenti ad manus insurgere : dilaniaretur, Boristhenem biberet, fanda atque infanda proditor, veterator, orthodoxorum eversor, subiret. Cum ad jussa superioris, petente Josaphato, ut silerent, detumuissent, salutem universis comiter impertitus, adventus rationem explicuit : ut locum vetustate, religione, sacrisque olim exuviis celebrem, videret, venisse; lætarique ex tanta religiosorum copia. Nec machinari quidpiam, cum nullum comitatum intuerentur ; sed fausta precari omnia. Socium ipsis futurum, si quis eruditior veritatis iter sibi monstrasset scripturæ, patrum, librorumque ecclesiasticorum lumine. Mitiores facti omnes, et ni pransus fuisset, prandium paraturos. Sed libros rogat slavonicos, ex quibus dogmata fidei depromere, unionem Ecclesiæ firmare, annalibus ruthenicis unitorum metropolitanorum seriem deducere, et si hæc minus vera essent, monstrarent veriora, se manus daturum. Mirum quantum mutati ab illis, silentes stupebant, tota loca suorum monstrantem librorum, ad firmandam unionem. Adjecerunt : non abs re eum vocari *Duszochvatum*, quod tam blande homines raperet : eum tamen non secuturos, sed ad hospitium humaniter deducturos. Nec frustra locuti, promissa facto coronant. Deploraverat jam Josephus Rutscius Josaphatum,

Collocutio de unione cum schismaticis.

cum ad monasterium ivisset Peczarense; sed viventem victoremque de schismate, lætior quam dimiserat, recepit. Ex prætore civitatis duobusque sacerdotibus Unioni sanctæ adjunctis (qui postmodum a Cosacis pure pro sancta fide atque Unione catholica trucidati sunt) in Lithuaniam cum Josaphato concessit. In reditu Kiovia Vilnam, quocumque in loco Josaphat fixit pedem, eosdem in lucrandis Deo animabus insumebat labores.

Vilnam redit.

Vilnæ tum vulgi, tum civium, tum religiosorum, tum præcipue pauperum, ut patronus, protector, magister, pater universorum cum ingenti exceptus lætitia. Ac iisdem incumbens artibus, quibus antea, in dies cum lacrymis metens, cum gaudio vivos aptosque ad cœleste horreum portabat Deo manipulos. Ita ut præter exteros, e plebe ac nobilitate homines, Vilnam maxima ex parte ad Unionem sanctam convertisse dicatur. Quibus quasi suave adjecit acroama, cum Theodorum Skumin Tyszkievicium, Novogrodensem palatinum, et Janussium, ejus filium, magni Ducatus Lithuaniæ id temporis notarium, postea Mstislaviensem, Trocencem et Vilnensem palatinum, proavis atavisque senatoribus progenitos, e schismate ad unionem transtulisset. Quo etiam auctore sacrarium ad ædem sanctissimæ Trinitatis Vilnense, arte elaboratum, majestate præclarum, ornamentis dives, parentum suorum depositorio, idem notarius erexit dotavitque; quin etiam suas illic deponi mandavit exuvias.

Multos convertit et nominatim duos magnates.

CAPUT III.

DE STATU ARCHIEPISCOPALI JOSAPHAT.

Gradus archiepiscopatus Polocensis Josaphato amplioris virtutis campus fuit. Præerat isti Gedeon Brolnicki, adeo grandævus, ut vix sibi compos esset; ad nonagesimum enim appellebat annum. Proinde Josephus Rutscius, archiepiscopus Russiæ metropolitanus, Roma a Paulo V. Pontifice Maximo, cui in persona obedientiam detulit, redux, ut tam amplæ consuleret diœcesi, Josaphatum seni Gedeoni in coadjutorem et post fata successorem legit. **Gedeoni Josaphat subrogatur.**

Et licet id siluerit Rutscius, patuit Josaphato. Quare, tanquam pessimum accepisset vulnus, graviter angebatur. Volvebat enim submissus animus, indignum eum tanto munere; revolvebat obsequens virtus, quam semper coluit, quid facto opus esset. Ea pugna fuit. Et remedium inedia se macerare, flere solatium, ultimum asylum ad Deum recurrere, ut mutaretur. Sed corde altum pressit dolorem; donec aliquot post diebus a Rutscio ita compellatur : orbatam pene Polocensem pastore ecclesiam, regimen et curam pastoralem desiisse. Multa inde absona legi divinæ, et pietati **Archiepiscopatum recusat.**

adversa fieri. Unionem propemodum collapsam : paucos et incertos, certum nullum unitum ; animas hominum innumeras miserande perire. Suum velle, Dei esse velle ; provinciam hanc capesseret. At ipse complicatis ad pectus manibus, submissiore sermone, in terram etiam prostratus, orabat, deprecabatur, obtestabatur, onere liberaretur. In simplici quoque religioso statu, paratum diœcesi isti allaborare. Amplitudini ipsi, ut imparem, ineptum, indignum, non suffecturum. Nec concertationis finis esset, nisi Rutscius intulisset : fieri aliter non posse; obsequeretur cui necessum. Tum primum conticuit, profundum tamen desertum mente agitavit, nisi quidam religiosorum ordinis nostri, potissimum vero Valentinus Fabricius, Societatis Jesu, animum ejus erexissent. In congregatione tandem unitorum religiosorum prima Novogrodovitiis, præfatus imprimis aliqua Rutscius, regium Josaphato pro archiepiscopatu dicto privilegium porrigit. Non prius ille accipere, quam iterato ad genua procidere, deprecari, et quasi de summa vitæ ageretur, lacrymari, ne tanto dignitatis premeretur pondere. Divinæ aiebat Rutscius gloriæ ampliandæ expedire, ut eum conscenderet gradum ; nec ulla id unquam mutandum ratione. Tum flens accepit. Omnes vero Deo egere grates, multo ominantes fructui eum illic Unioni futurum. Ipse tamen eumdem vilitatis suæ sensum tenuit, et multoties statum deplorans suum, sacramento se obstrinxit, si Meletius Smotricius (qui morti ejus dedit ansam)

Coactus accipit.

manum daret Unioni, tanquam doctiori ex nunc cessurum.

Anno igitur 1617 currente, 12 novembris, die dominica, Vilna ab eodem Rutscio aliisque episcopis, ad episcopatus Vitebscensis et suffraganei Polocensis initiatus gradum, suo quidem amaro cum fletu, sed omnium incredibili gaudio, schismaticorum vero inaudita cum execratione. Oderant enim, quod suo metuissent schismati. Idque mysterio acceptum duxeris mense eodem, die, luceque dominica, quam septimam post labores colimus, consecratum, trucidatumque Josaphat. In sua inauguratione ad labores sexennes plane cœlitus inunctum. Anno septimo ad quietem annorum æternorum, formosum in stola sanguinis sui translatum. Statim atque Polociæ increbuit, destinatum ei pastorem Josaphat, omnes fama nominis ejus deliniti, gaudio perfundebantur. Sed ut iter munusque de cœlo datum ipse Dominus cœli fortunaret, ac virtute ex alto eum indueret, aliquot supra decem diebus, in reticentia, solus cum solo Deo, cella conclusus, in mentis orisque devotione quievit. Dum Vilna Polociam egreditur, inopum totius civitatis sat ampla manus ad monasterium sanctissimæ Trinitatis confluit, et quasi funerando lacrymis litat; quod dominum, patronum, tutorem, parentem suum amitteret. Sic mixti viri, feminæ, puerique, nec civium pauci, extra mœnia ductum, gratis affectibus, faustis apprecatio-

Ætatis suæ 38 consecratur.

Polociam discedit.

nibus, faventibus insuper oculis, quam longissime prosequuntur.

Ingressus Polociam. Adfuit nona januarii sequentis 1618 anni, ingressui Josaphati Polociam destinata; pro qua cives, nobiles, magnates, per litteras ejus invitati; comes etiam introducendo ipsi, a rege felicis recordationis Sigismundo III datus, Janussius Skumin Tyszkievicz, Magni Ducatus Lithuaniæ notarius, eosdem regio monuerat nomine. Dato itaque bellicarum aliquot fragore machinarum in signum adventus, de magistratu palatinatus nobiles et præcipui viri, hiemalibus obviam processere carpentis; magistratus civilis integer extra portas urbis præstolabatur. Appropinquantem civitati præsulem, quidam e civibus senecio, fausta apprecatione salutans monuit, fortiter fidem ruthenam tueretur. Notabilius quidpiam alius civis: iret in nomine Domini, si bono iret fine; sin secus, utinam non intraret Polociam. Et hæc dicendo unioni timuerint, an schismati incertum: noverant enim, ut schisma odisset Josaphat. Sed moderate utrumque acceptum a præsule. Progreditur deinde ipse Michael Sokolinski, palatinus Polocensis, parum extra portas, splendida nobilium decoratus frequentia, quem de rutheno sectæ calvinianæ factum, labore Josaphat suo, Unioni sanctæ aggregaverat. Data hic ex majoribus tormentis præsuli salutatio: ut suam cives lætitiam et obsequium testarentur. Cum universi equis et curribus de-

fluxissent, Tyszkievicius paucis ait : se de voluntate principis adduxisse ecclesiæ unitæ archiepiscopum, nobilitati ornamentum, civitati præsidium, gregi pastorem : ut divinitus lectum, ita omnibus profuturum. Nomine suo, nobilitatis, totiusque Russiæ retulit gratias Polocensis palatinus Tyszkievicio, debitamque obedientiam, venerationem, amorem pastori contestatus, ejus sese regimini, curæ, fidei, omnesque commendavit. Tum demum in amplexus pastoris ruere, et ipse blando moderatoque alloquio excipere. Ad spectaculum effusi homines, ætate, sexu, vestium splendore varii, sed magis affectibus, catholici, schismatici, hæretici. Cum Josaphat ante erectum propter portam, perelegans ornamentis sacris altare, uti moris ingredienti apud Ruthenos episcopo, Deo vota funderet, magnum suæ probitatis proposuit exemplar. Os compositum, mentem collectam, orationem fervidam, modestia conditam; quibus omnium in se convertit oculos, rapuit animos. Magnaque omnia sibi et ecclesiæ pollicentes, manus et oculos in cœlum ferebant, regique sæculorum gloriam de tanto pastore dicebant. Intranti urbem, plausum urbis iterum bellica occinuere tormenta, ecclesiarum sonuere campanæ. Et primum agmen juventutis e collegio Societatis Jesu studiosæ, nobilis et civilis, maxima ex parte ruthenæ, cum cantu, crucibus, vexillis præibat; cives et magistratus civilis pone sequebatur. Tertium agmen cum musica Tyszkieviciana et ar-

Procedentium ordo.

chiepiscopali sat suavi, præcedentium vestigia premebat. In quo clerus latinus ruthenusque pictis serico et auro ecclesiæ indumentis ornatus, et ipse pastor præsuleo decoratus habitu, gravis incessit, pastorali innixus caducæo, religiosis basilianis hinc inde lateri hærentibus, pia majestate perfulgebat. Ultimi palatinus et castellanus Joannes Korsak Polocenses, Tyszkievicius legatus regius, omnes uniti, cum frequentissima nobilitate et multitudine hunc solemnem ingressum claudebant. Procedentibus ad arcem in qua cathedra, dispositi a lateribus præsidiarii pedites, repetito bombardarum fragore, auxere triumphum. Deinde arx de pluribus majoribus machinis cum intonuisset, tremere omnia et cœlum terraque misceri, sonitu, flammis, fumo, pulvereisque globis videbantur.

Vox publica tum fuit, a plurimis retro annis nullum tam celebrem ullius archiepiscopi aut senatoris ingressum fuisse. Ita videlicet honorari, quemcumque voluerit Deus honorare. Tam læto triumpho mœstitiæ propior quam gaudio, in ecclesiam S. Sophiæ, seu Dei sapientiæ, pedem intulit Josaphat; atque modicum ad altare precatus, thronum suum conscendit. Audito demum divino sacrificio, et a juventute polonicis salutatus rythmis, cum præcipua hospitum manu, senem archiepiscopum vix sibi præsentem invisit, omnemque circa eum suam futuram sollicitudinem, ut filius parenti, pollicitus est. Eo die (martis erat) servus Dei totum nobilitatis florem epulo excepit; pos-

tridie eum ipsum et omnes hospites palatinus; perendie collegium Societatis Jesu præsulem, legatum, cum familia Tyszkieviciana, præmissa studentium læta apprecatione, prandio veneratum est. Die veneris legatus, sabbato castellanus præsulem et hospites tractavere. Dominica civilem magistratum mensa Josaphat coluit sua, cum et ipsi pridie eum muneribus. In omnibus vero consessibus, modestiam, temperantiam, piam sermocinationem Josaphati omnes notavere. Altera luce dominica in æde vice–judicis Polocensis, Danielis Szczyt, a nobilitate lauto exceptus convivio; sequenti item dominica a cive quodam schismatico. Ubi sermone ejus, comitate, cibi potusque mediocritate capti convivæ schismatici, sincere se illo coram effudere. Increbuisse, inquiebant, eum primum latinum aditurum templum, ibique auditis divinis, gratiisque Deo actis, ad sedem perrecturum suam. Cum non fuisse id mentis suæ suaviter edixisset, ex nunc ejurato schismate, animitus ei Unionique sanctæ adhæsere; frequentaret sane latinorum templa, quando vellet, cum æque ibi Deus laudetur; sed sibi aliter narratum fuisse.

Reformatio cleri.

Sic adito archiepiscopatu, cum rara in cathedra per septimanam sacra Deo fieri adverteret, statuit ut clerus frequentiora in festis, singulisque diebus faceret; coram religiosis D. Basilii unitis, ad minus semel in mense, conscientiam depuraret. Bigamos ad latus cathedræ existentes, altaribus arcuit. Cæteraque ad rerum ordinem cumprimis necessa–

ria, ex nunc introduxit. Archiepiscopatum pauperem et nimium desolatum reperit. Mensuræ siliginis loci ejus quinque superfuere, sex avenæ, et reliquorum non nihil leguminum. Siliginem integre pauperibus dispersit et dedit : ipse cum suis apud Patres Societatis mutuata usque ad messem victitavit. Nec ullum toto archiepiscopatu elabi passus diem, quo mensæ suæ aliquem laterique proximum non adhibuerit. Aliis vel in cubiculo aliquo, vel in culina refectis, ipse sua nummos in stipem distribuebat manu. Eadem largitate erga inopes ubique usus, neminem a se tristem dimisit. Cum nequiret petenti subsidium ferre viduæ, pallium archiepiscopale oppignorari mandavit, et tulit. Sanguini juvando paulo tenacior, cum germanus ejus ad se a longe venisset, digna archiepiscopali et fraterno statu petiturus auxilia: ære modico illum, duabusque mediocris sumptus donatum vestibus dimisit, superadjecto : reditus ecclesiæ in ipsam ecclesiam et pauperes effundendos; ipse vero honesta sollicitudine sibi succurreret. Itineranti pauper occurrit senex stipem mendicans : daturum se recipit, si confiteretur ; hærere, tergiversari mendicus primo, dein mollefieri, faterique se nunquam confessum fuisse ; demum amaro lacrymarum cum profluvio, scelera sua Josaphato edicere. Absolutum solito largiore muneratus eleemosyna, paulo post extinctum audivit. Quo salutari opere suo et mendici exitu animosior promptiorque Josaphat factus, ad ferenda animabus salutis subsidia.

Pauperem sedem invenit.

In pauperes tamen largus,

non in suos.

Brevi post ingressum Josaphati, senex archiepiscopus et annis et ægritudine pressus interstingui cœpit. Quem ille, uti simplicem et jam schisma redolentem, cum in fide sancta gravibus patrum et librorum slavonicorum firmasset sensis, confiteri etiam peccata sua pluries persuasit, et viatico divino refecit. Extinctus, dignis statu funeris solemnibus a Josaphat peractis, terræ mandatus, tanto felicius, quod et suæ salutis securior migraverit, et ovibus suis præclarum reliquerit pastorem.

Gedeon disponitur.

Moritur et sepelitur.

Sic integro in suos humeros defluente archiepiscopatu, non quieti se Josaphat dedit, ut partis frueretur; sed ascensiones virtutum in corde disposuit suo, ut expeditus Deo, Ecclesiæ, ovibusque inserviret. Et quidem incurius sui veste ad statum graviore, quam pretiosiore indutus, splendorem supellectilis, equorum, curruum, famulorum, mediocritati posthabuit. Disciplinæ severioris amans, otio, tumultibus, intemperantiæ deditos procul esse ab aula jussit. Et nonnullis pro dignitate et necessitate status allectis, cantoribus vel maxime, qui decori forent ecclesiæ, delectatus. Alios e servitio suo vel studiis, vel opificiis distentos habuit. Clero ad latus hærenti suum, ut theologia moralis a patribus Societatis Jesu traderetur obtinuit, ne otio hi et illi torpentes in vitia diffluerent. Evenit in ejus aula, ut quiddam de argento sublatum esset; imprudens famulitium inter se caseum, superstitiosis inscriptum verbis, die veneris jejunis edendum distribuit: ut innotesceret

Josaphat domum suam ordinat.

qui rapuisset. Quem cum omnes absque præpedimento absumpsissent, maligni dæmonis opera, quidam puer deglutire illum nullatenus potuit. Conclusum proinde illum surripuisse. Enotuit superstitio viro Dei, et auctoribus gravissime correptis, puerum liberum pronunciavit. Interim dum Deo rem committit, alius propalatus mendacem spiritum falsitatis coarguit. Denique universam domum suam sanctitatis sacrarium efficere enixus est.

Societati Jesu addictus.

In solemnioribus Societatis Jesu cum suis studiose adibat templum : et venerabilem processionis cum divino corpore pompam ipse præsens augebat : ita ut Rutheni eodem consuescerent, sacrorumque venerationem rituum conciperent. Familiæ Societatis tenere addictus, obtrectantibus ei referebat : solo se indumento ab illa dirimi, non animo ; sollicitudinem animarum, charitatem in Deum pietatemque ipsius suspicere ac æmulari ; unumque esse cum illa ; hostem ejus, suum hostem ; et desperare se talium salutem, reprobosque censere, qui maligno eam dente roderent.

Modus ejus agendi cum subditis.

Munus rei familiaris procurandæ aliis, sed fidelitate conspicuis imponebat, ut ipse cœlestibus liberius invigilaret. Pecuniæ minime studiosus, ne quidem attrectare eam consuevit. Census pauperibus subditis satius remittere, quam imponere studuit. Cum aliquid munerum sibi offerretur, restituere paratior, quam accipere. Imo de proprio pauperiem eorum sublevare, nihil antiquius

duxit. Nec pœnis corporis, nec pecuniæ mulctis, affligere præter morem suetus. Præses ipsi non durior et fructibus coacervandis cum onere villanorum solertior, sed qui lenior et justior esset, cordi fuit. Patrem enim se esse, non dominum, pastorem, non depastorem ecclesiæ subditorum haberi voluit. Quibus studiis eum amorem apud eos, quem parens apud filios, dicto obsecundantes promeruit. Et quod alii gravibus vernarum suarum afflictionibus efficere nequeunt, suavitate ille sua longe felicius adeptus. Neque magis fructus perituros a subditis quæsivit, quam æternæ cibo doctrinæ pastos, orationem dominicam, fidem sanctam, ipse erudiret ; ad conscientiæ nævos eruendos, sacram synaxim percipiendam induceret; matrimonia pura, timorem castum, pietatem sinceram, iis instillaret; atque ut festivis diebus ab operibus abstinerent, divinisque auscultarent, severe indixit. Sæpe numero dictitans, caduca et fluxa de subditis promanantia commoda æternis repensanda. Et cum illorum sudore vita nostra mortalis in vita subsistat, sic eorumdem æternæ serviendum saluti, ut stolam possideant immortalitatis. Inde presbyteros in bonis suis ad id præstandum ardentius incitabat, ne de minimis hisce, coram Deo forsan magnis, vel unus periret. Maleficos tamen et scelestos, si ferulam respuerent, ditionibus proscribebat suis : ne dum pertinax palpatur malitia, sincera et innocens vitiaretur simplicitas.

Devotiones suas non mutavit in hoc statu.

Nec vero alius indevotione a religioso fuit. Cum secreto de nocte consurgens oravisset, œconomum religiosum, a somno excutere, claves ab illo sumere, portas domus et templi reserare, campanas pulsare, ipse demum primus in choro consistere, et ita composita in omnibus præsens officiis psallere consueverat voce, ut omnes ad intimam devotionem provocaret. Quin etiam dum iter ageret, officium sacrum, cum cantu et solitis magnisque ritus græci in ecclesia lectionibus, integrum Domino persolvebat. Quapropter ad ecclesias in via ruthenas, nocturnas diurnasque stativas agebat, ut in illis commodius divinis precibus intenderet. In quibus totus manebat absorptus, quasi cum Deo præsens præsente loqueretur. Mentis per meditationem ac contemplationem ascensibus ut domi, sic foris præcipuam dabat operam. Et foris quidem abstrusos quærebat angulos, domi horto sese includebat. Ex quibus quasi de somno quandoque evigilans, intonare sæpius audiebatur : *Domine Deus, da schismaticis in fide sancta concordiam, da unionem, da hæreticorum et paganorum conversionem.*

Angelos in sacris videt.

Ad sacra solitis corporis affligendi artibus præparatus, accedens, alto in illis mentis abscessu corripiebatur. Nec raro piis hominibus de cœlo datum, ut angelos ipsi ad divina servientes intuerentur. Quos ille omnes quidem, potissimum tamen angelum custodem, devoto sibi semper devinciebat cultu. In eo insuper ad rem divinam apparatu, perfrequens insomnes oratione traduxit

noctes. Cum ad cathedram Polociæ moraretur, singulis noctibus vestibulum ecclesiæ nudipes, etiam hiemali rigente frigore accedens, longe insistebat orationi. Duo ejus quondam a cubiculo juvenes, observantes quo nocte iret dominus, per domus aream ad cœmeterium secuti, et trans sepes ante basilicæ accessum, coram Virginis Deiparæ icone adverterunt orantem; ex qua duo splendidi prorumpentes radii, hinc inde suo eum involvere lumine : ita ut sole vestitus, atque a terra in aerem levatus orationi vacare videretur. In cubiculo nocte quadam profunda orationi insistens, ut in commissione refertur superiore, appenso coram in cruce Salvatore et Virginis icone, acriter se flagello cædebat. Iidem cubicularii, nimium sagaci perciti curiositate, per rimas forium prospiciebant; sed divina circumfusum luce intuentes conterriti, statum religionis Basilianæ amplecti firmiter proposuere. Atque intrante brevi altero, dum moras nectit alter, suisque lenociniis deditus exercet choreas, labitur, caput diffringit et exstinguitur. In oratione luce circumdatur.

Enimvero divam ille et dominam, reginamque cœlorum, omni quo debuit potuitque coluit fervore. Illi flagra et cilicia, illi jejunia et preces, illi fletus et vigilias : ut festivitates lætius, sacra devotius, honori ejus ageret. Laudare eam pro concionibus, gaudium; ad servitia ejus inflammare alios, præmium fuit : ut non immerito divo eum complexa fuerit virgo lumine. Devotus ad Deiparam.

Domi suæ jejunitati, ut ante, incumbens, lauti- Jejunia in hoc statu.

tiam ciborum potusque a se longe proscripsit. Ad convivia vocatus, non solum moderationi semper studere, verum etiam naturæ necessitati subtrahere solitus est. Cædere se flagellis, in cubiculis et prædiis, in hortis et horreis, in sylvis et satis, et ubi commodum et extra oculum humanum reperit locum, non intermisit. Uslatini in villa archiepiscopali, mense januario, summa hieme, archidiaconus ejus Dorotheus, S. Patris nostri religiosus, casu fortuito, nemus aulæ proximum adiit. Ecce spectaculum : pontificem lumborum tenus denudatum, virgis se graviter, toties respirantem iterumque cædentem advertit, et quovis respirio, crucis in modum, super nives cadentem orantemque. Victusque dolore, sustinere haud potuit, quin accurrens oraret, ne tantopere in vitam suam, Ecclesiæ tam proficuam, sæviret. Ad quæ præsul fratrem eum compellans, sineret se, loco abscederet, nec ulli diceret. Flens abiit ille, ipso manente, et quid egerit, cœlum conscium. In ciliciis et cingulis ferro distinctis adunco gestandis, juniori sibi persimilis : in quibus etiam sacra more pontificis, solemnibus celebrans festis animo quondam præ doloribus linquebatur, quod unci ferrei carnem transfigerent. Igitur peracto sacrificio, in lectulum decidens, archidiacono eidem, confidentius refibulare se jussit, et indusio cilicino quo semper usus, non dejecto, ferreum asperioribus intermixtum setis cingulum, deponere. Verumtamen, ut factum propalaret nemini, severe inhibuit.

Flagellationes.

Cilicia et catenulæ, præcipue cum sacrificat.

Ut sanctam coluerit mentis humilitatem, cum ex aliis tum inde probaveris, quod etiam vilissimos benigno non dedignatus alloquio : de se ipso frequenter et palam locutus sit, se de simplici genere et mercatoris statu, longe imparem et indignum, ad tantum evectum culmen. Aulam ejus Polocensem, cum equis, curribus et tota re familiari, ignis edax deleverat; sub quem casum Josephus Rutscius, metropolitanus, Polocia eum Novogrodecum, 70 leucis remotum evocat. Nihil moratus vir humilis et obediens, decore mundi, amplitudine status, sensu hominum protrito, et de se ipso locutus victoriam, villano simplici curru pro designato appellit die. Innotuit uterque casus stupenti Rutscio et dicenti, sibi eam non fuisse voluntatem, ut cum tanto honoris dispendio veniret : neque se, respondit submisse, imperium sui post Deum isthic pastoris respuere debuisse, ut non veniret. Cum suis semper inimicis parceret, et viscera plena charitatis præberet, vincendoque in bono malum beneficiis devinciret; re cognita, illi, qui ab Josaphat quædam peterent, nec impetrarent, studio eum injuriis, contemptibus, saturabant, et potiebantur. Conciliandis discordium et inter se inimicitiis digladiantium animis felicissimus : quos, vel adeundo, vel suæ mensæ adhibendo, nullo sedabat jungebatque negotio. Idque genus officii non duntaxat catholicis Unitis latinisque, sed etiam schismaticis, hæreticis, ipsisque hebræis præstare solitus est. In conscientia neque

Humilitas.

Obedientia.

Beneficentia in inimicos.

Conscientiæ teneritudo.

minimæ patiens maculæ, sæpe quidem eam sacrosanctæ pœnitentiæ mysterio emundabat, sæpius tamen etiam in die, cum Deo sacrum facturus esset. Dicereque auditus est, se confessarium ad latus suum velle portare, ut mundari frequentius posset. Cui officio non modo de suæ religionis assiduum aliquem, verum etiam de patrum Societatis Jesu familia, quandoque in hoc suo Josaphat adhibuit statu. Nicolaus erat Kosinscius, Derpatensis et Polocensis toties rector, vir omnibus absolutus numeris, cujus moderamini conscientiam suam sæpius in hoc statu subjecit. Unde tanquam intime servum Dei pernoscens, multa in Vita ejus, licet typis non vulgata, conscripsit; et hic nonnunquam ut gravibus concordia testimoniis exponuntur. In processu vero longe præclara de eo juratus dixit testis: inter quæ, in tantum eum Deo, corde, ore, opere conjunctum fuisse, ut veterum pontificum, martyrum, confessorum, religiosorum, eremitarum, sanctimoniam in se efformarit: perfectum vitæ agentis simul contemplantisque gradum conscenderit: donis, gratiis, virtutibus omnibus cœlitus ornatus singulare specimen universis exstiterit.

Comparatur veteribus Sanctis.

Amplitudo diœcesis Polocensis.

Et vero peramplum nactus ovile, quod tres magnos palatinatus, et tribus provinciis pares, Polocensem, Vitebscensem, Mstislaviensem includit; sed in eo incuria prædecessoris omnia collapsa, ruditate, schismate, vitiis corrupta. Proinde totum se illi excolendo sacravit: ita ut somno cibo-

que abstineret, ubi lucrum animarum affulsisset. Nullum vero adiit opus, quin prius vel ipse Deo sacrum obtulisset, vel oblatum audivisset.

Cathedram Polocensem restaurat,

Atque ut ab externis ordiamur, cathedram Polociæ laceram, deformem, obscuram, ruentem, cum intrantes asseribus super impositis, a ruentibus protegerentur lateribus: impensis magnis, cum insigni reparavit decore. Stupuereque universi, undenam tantæ, tamque præstanti moli, æs suppetierit restaurandæ, expensis censum superantibus? et quia quatuor angulares, turritosque vertices, nullo usui decorique ecclesiæ dejecerat, medium vero decenter ornatum extulerat, obgannire schismatici: quatuor patriarchas per turres denotatos ab ecclesia rejectos, Papam quintum, per mediam turrim signatum, adeo extolli et ornari: intelligerent quos abjiceret, quem sequeretur. Verum Josaphat insulsam demiratus malitiam, redditurum se, ait, quatuor patriarchas ecclesiæ, dummodo non amplius a capite divellerentur. Et quidem restaurare cœperat, sed crudeli Vitebscensium manu præventus, successori finiendos tradidit.

schismaticis obgannientibus.

Possessiones vindicat.

Aulas ad cathedram et in villis suis præcellentes a radice excitavit. Et quasi principis reditus haberet, divinitus suppetente rerum copia, in Dei gloriam et pauperes, quam plurima erogavit. Ut possessiones ecclesiæ ab impertinentibus bello Moscovitico occupatas vindicaret, non raro ipse actis variis revolvendis, ex quibus monimenta recipiendis excerperet bonis, dies totos insumpsit. In lite cum variis pro

bono Ecclesiæ ducenda, non suo, sed gravium jurisperitorum innixus judicio stabat: ut justitiæ totum, nihil impetui daret, et conscientiæ obsecundaret, proximos non læderet. Altercante quodam nobili de limitibus, cum dubius cedere potius suo, quam alieno potiri vellet, motu divino, calcar pervetustæ formæ in via Vitoldi, olim Magni Ducis Lithuaniæ, dicta, Josaphat reperit, et coram judicibus rem evicit : quod antiqui signum limitis priusquam repertum fuisset, diceretur. Facultates cathedræ, et monasterium cum bonis Polocense Glebi et Borisi, in gentilitate, in baptismo Romani et Davidis, principum Russiæ, a Sviatopolko fratre innocenter cæsorum (quos Rutheni antiquitus pro sanctis colunt), e manu quorumdam non modo cum opprobriis linguarum, sed cum discrimine etiam vitæ recepit suæ. In quo nimium desolato ædificia integra, sacras ædes e ligno duas, e cocto latere tertiam, multis eum ædificasse impensis, videre licuerit. In civitatibus Mohiloviæ, Bracslaviæ, Mstislaviæ, occupata laboriose vindicavit, vindicata sumptuose restauravit monasteria. Vitebsci porro, Orsæ, et in oppidis nonnullis suæ diœceseos, ac in bonis propriis varias, qua erexit, qua resarsit, qua ditavit ecclesias, schismaticisque presbyteris amandatis, unitos, moribus cultiores, fide instructiores induxit.

Vindicat et ædificat ecclesias.

Cathedram Vitebsci reformat.

Vitebscum primo invisens, cathedram intus et foris inquinatam invenit, præcipue vero imagines adyta sanctuarii tegentes, obsoletis pulveribus et

telis aranearum obsitas. Quarc ecclesiam mundari, imagines deponi, abstergi, ablui, curavit. Hinc pervagatum est continuo, archiepiscopum more latino altare denudasse; et mox, abrogato ritu græco, latinum introducturum. Credíditque male sana plebs, potissimum quod imagines ablatas vidisset. Sed frementem et varia jactantem Josaphat compescuit : cum, ecclesia repurgata ornataque, imagines restituisset pulchriores.

Schismaticorum voces.

Virginum monasterium Polociæ pauperrimum propriis adjectis reformavit et dotavit sumptibus. Vilna quoque a religione et pietate commendatas, ad earum institutionem, adduxit virgines. Ipse præcipuus magister, ad omne genus pietatis eas exercuit: cujus odore ad duodecim primas, sexennio ejus pastoratus viginti tres, e nobilitate, adlectæ virgines. Post fata vero longe numerosiores, ut vivum pastorem, sic vita functum patronum, probavere.

Virginum monasterium instaurat.

Hosce inter sudores pro sui ecclesiæque bono effusos, animarum ille saluti quam maxime incubuit; ut jure merito tanti pastoris, eum honore majestas divina insigniverit. Schismaticos et hæreticos, ubicumque et quacumque ratione debuit et potuit, ad gremium et obsequium S. Romanæ Ecclesiæ inducebat. Cum illis ei perfrequens suscepta conversatio : inter illos creberrimæ actæ de fide concertationes : ad illos pro rostris sacris ardentes prolatæ conciones : pro illis continua jejunia flagra, cilicia, catenæ, preces, sacra oblata : illi ipsi

Labores in convertendis schismaticis

refragantes, edictis regiis, jure etiam variis in subselliis mediante coerciti, et unioni sanctæ aggregati. Mirabilem sane ille in verbis suavitatem, in rationibus gravitatem, in persuasionibus felicitatem habuit. Clarus in discursibus, in responsis promptus, summe memor in citandis auctoribus librisque slavonicis exstitit, ut raro de schismaticis, de unione egerit, ne triumpharit. Libellum a se compositum, *Defensio unionis* dictum, aliosque hac super re ab aliis luci datos, pecuniaque comparatos, varios inter dispergebat. Latinos quoque huic rei accommodos libros, in vulgare idioma, qui schismaticis largiretur, transferri curavit. Hinc Alexander Tyszkievicz, supremus Polocensis judex, Zonaram polonico transtulit stylo, ut desiderio Josaphati, Josaphat schismaticorum saluti, velificaretur. Quandoque Patres Societatis Jesu, aliosque viros egregios, quod a se abhorrerent, ad illorum molliter curandas submittebat animas. Si modus defuit domum aliquam integre ad catholicam convertendi unionem, variis instituit modis, ut vel unicam ex ea lucraretur animam: per quam deinde, a se bene instructam, alias occulte pertraheret. Qua ratione sæpe omnes in domibus illis catholicæ adjungebat fidei. Obvios salutare, blande osculari, munusculis honorare; pauperes omnes eleemosynis et confessos uberioribus, ad unionem allicere. Domos frequentare, conversationibus importune se ingerere, opprobria suaviter excipere, ad mensam suam invitare, et cibos inter nil aliud nisi unionem

et dexteritas.

et pontificis romani obedientiam feliciter instillare.

Fluebant itaque ad sanctam ejus nassam, piis captæ dolis animæ. Per ipsum, præter supradictos præcellentes viros senatorios, multi nobiles, plurimi cives, innumeri vernæ, inter hæredes Dei et cohæredes Christi adscripti. Polocia maxima ex parte conversa illi suam salutem acceptam deferre tenetur. Gaudebat Josaphat, sicubi tum Polociæ, de se dici *duszochvat*, animarum raptor felicissimus. **Multi convertuntur.**

Ut diœcesim suam excoleret, continuam visitationem adhibuit. Ut clerum perpoliret, synodo quotannis acta vivendi rationes legibus præscripsit. Ut laicos pietate instrueret ac in fide firmaret, sermonibus apostolicis, catechismis editis imbuit, roboravitque. Etiam a mensa surgens, et indignitatis in sua immemor dignitate, ad infirmos unitos schismaticosque properavit, et confitentibus aurem præbuit, ut sic ecclesiæ Deoque Domino illas lucraretur. Sed cum schismaticis Josaphat, etiam gravibus læsus injuriis, demirandum declararet amorem, longe magis obstupescendum ipsius schismatis universis probavit odium : cum illud concionibus argueret, sermonibus convinceret, ecclesias ipsas clauderet, sacerdotes, alios pœnis coerceret, alios diœcesi prohiberet, librosque blasphemos exureret. His et superioribus artibus, adeo unioni profuerat, schismati obfuerat, ut erigere caput ista, ruere illud ubique videretur.

Tam prosperis unionis rebus, ille homicida ab initio tartarea sua obstitit potentia. Anno salutis

nostræ 1621, quidam Theophanes græcus, uti se nominabat patriarcha Hierosolymitanus, Moscovia redux Kioviam appulit. Miserat vero eum paulo ante, in Moscoviam Turcicus tyrannus, sic loquente fama, ut illo Poloniæ ditiones invadente, quemadmodum invaserat, Moscus quoque ruptis fœderibus, ejus popularetur fines. Et Cosaci quidem præpotentes tunc erant, quod bello Chotimensi, strenue pro Polonis in Turcos rem gesserint. Igitur fisi tanto præsidio schismatici, a dicto Theophane, solo, sine ullius assistentia episcopi, Kioviæ initiari, jam in archiepiscopum metropolitanum, jam in episcopos varios; Meletius vero Smotriscius in archiepiscopum Polocensem. Ausus istos stupuere uniti episcopi. Res publica novi quidpiam inde portendi, secum reputabat. Læsa quoque regia majestas, a cujus isti manu dependentes honores erepti. Atque adeo jam tum novam rempublicam schismatici per Cosacos moliri cœperant. Quod postmodum nuntii Cosacorum, ad generalia regni comitia missi, non obscure in suis denotabant postulatis : episcopi uniti tollerentur ; cathedræ darentur noviter initiatis a Theophane pastoribus ; libertates Cosaticæ firmarentur, exercitus copiæ ad quemcumque possent ascenderent numerum (centum millia tum fuerant), arcium regalium et equestrium in Ukraina tenerent præsidia, et alia his similia reipublicæ pergravia petita. Assurgente demum Cosatica potentia, gliscenteque seditione,

Patriarcha Hierosolytanus Russiam turbat.

Episcopos contra episcopos consecrat.

Molimina Cosacorum

cum non potuerit fieri aliter, gladium in rebelles strinxit respublica. Cæterum divina disponente manu, cum alii Cosacorum per maria, alii per Ukrainam vagarentur, Poloni modico milite præclaram de rebellibus tulere victoriam; quam sanguini Josaphat, recens tum cæsi, magnus vir Rutscius adscribi voluit. vi sedata.

Sed altiora repeto. Omnes illi noviter creati schismaticorum episcopi unitorum diœceses suis plurimum turbavere artibus, ovesque a veris pastoribus avulsere. Et potissimum Smotriscius, qui ut zelum suum orthodoxo probaret schismati, epistolas in archiepiscopatu Polocensi per quemdam Sylvestrum, monachum sociumque ejus, ac ejusdem sectæ presbyteros, longe lateque dispersit. Usus est etiam civibus Polocensibus, Joanne Chodyka, adhuc schismatico, ut ipse de se flebiliter contestatur, et alio Gabriele Lahodny, qui Vilna Polociam tales invexere litteras, quas Joanni Giedroyc equiti ejusdem professionis, variis deferendas nobilibus tradidere. Iidem monachi et presbyteri varios Smotriscii libros, in sanctam Petri sedem longe blasphemos, et præ omnibus hæreticorum libris virulentiores, in civitatibus oppidisque variis, et equestres inter homines dictæ Polocensis diœcesos, distribuere. In litteris Meletius monuit se esse sanctæ matris illustris Orientalis Ecclesiæ, ut ampullantur isti, alumnum, verum archiepiscopum, pastorem orthodoxum; Josaphat impostorem, papistam, hæreticum; ipso

Episcopi schismatici unitos turbant, potissimum Smotriscius Josaphatum,

seditiosis epistolis ubique sparsis.

proinde repudiato, sibi obedirent : orthodoxiam veterem, in qua Russia nata et educata esset, propagarent : inimicam orthodoxiæ unionem, uti patribus ignotam, et novam fidem, e medio sui exterminarent.

Inde in Josaphat schismaticorum conspirationes.

Versa ex eo in Josaphatum schismaticorum odia. Quibus stimulati modos quæsivere, qui suam obstinatam alerent firmarentque perfidiam, sanctam cum Josaphato opprimerent unionem. Album igitur quispiam antesignanus Polociæ confecit, cui nomina sua dare; et qui celerior, ille zelosior æstimari. Quare cum quivis per tres grossos polonicos, qui novem solidos faciunt venetianos, amanuensi conferret, alii præcurrentes liberalius æs effundere, ut priores essent in numero. Adjecerunt albo, in præstandam Smotriscio obedientiam strictissima juramenta. Nec pauca hominum millia fuerunt, qui se Polociæ solum, albo isti inscripserint, et jurejurando obstrinxerint. Summa inscriptionis et sacramenti, mors Josaphati fuit: ut qui ab orthodoxia scilicet orientali recedens, ad Romanam Ecclesiam accesserit, imo latinus factus sit.

Lepidum de Josaphato in latinum mutato.

Gravissimo id sibi Vitebscenses præ aliis persuasere argumento : quod Varsaviæ in templo latino, esto slavonice, latina tamen alba indutus divina peregerit; et sic per albam latinam, vim quamdam habentem, in latinum mirabili metamorphosi transformatus sit. Atque ideo propter albam, in album, etiam Vitebscenses et varii diœcesani, ut teterrimo parricidio, se ipsos denigrarent.

Josaphat in rebelles oves regias litteras obtinet.

Cum eas audisset tragœdias, Varsaviæ in comitiis vir Dei morabatur. Idcirco a regia majestate memorias ad varias civitates obtinuit, quibus ad obsequium pastoris sui serio a principe monebantur. Hisce munitus ocius ad suum ovile advolavit. Adeoque turbata reperit omnia, ut vix vestigium unionis compererit. Quippe synagogas extra urbem pro ecclesiis ædificare, ad ipsas vero sacris destinatas ædes neque pedem movere, illic sua obstinate vota, cum erronibus a Smotriscio submissis monachis et presbyteris, peragere, parochos suos pastoremque negligere ausi.

Tumultus in Josaphat Polociæ excitus.

Et vero operæ pretium hic fuerit, maximi tumultus Polocensis in ipsa civitatis curia meminisse, qui anno 1622 in Josaphatum excitus fuerat. Assumpto ille Michaele Sokolinski palatino unito, Michaele Tyszkievicz vicejudice terrestri, aliisque viris catholicis, unitis, clericis, laicisque Polocensibus, curiam adiit. Et cum de mandato palatini, uti totius palatinatus Polocensis principis viri, signum nolæ pulsatum fuisset, tota cum magistratu ad curiam confluxit civitas. Legi tum litteræ regiæ majestatis cœptæ, in quibus velle regiam majestatem, ut Josaphato unito et S. Romanæ Ecclesiæ obedienti, non vero majestatis suæ reo Smotriscio, omnes in Polocensi diœcesi existentes ritus græci Rutheni obsequerentur, et eamdem catholicam profiterentur unionem. Frendebant, cum legerentur litteræ. Perlectis, Josaphat paucis alloquens cives, se unitum obedientemque Sedi

Apostolicæ romanæ professus, utrum ipsi forent, aut vellent esse tales, inquisivit. Ad quæ clamor ingens exortus : neque esse, neque fore se unitos. Ad vim igitur intenti, vociferari : ***trucidetur, trucidetur impostor, veterator, fidei oppressor, duszochvat, raptor animarum***. Jamque effrænata multitudo, viri feminæque, gladiis, cultris, fustibus, lapidibus armata, curiam irruere. Palatinus Joannem Terlikovski, Petrum Basilii proconsules, Basilium Petri civem, tumultus principes, graviter increpitare : et nisi sedarent, primum ipsos perituros minitari : his dictis Terlikovscium scipione ferrato, quo nitebatur, aggredi, ni retenta palatini manu medium se duobus intulisset Josaphat, et ictum præpedivisset. Tyszkievicius itidem vicejudex, ad eumdem fistulam globo oneratam dirigere, inquiens : quoniam ipse perditissimus homo ejus motus motor esset, manus eum suas non evasurum : de præsule autem ac se ipsis disponeret Deus. Tum alii alios e magistratu involare. Exterriti proinde, contra plebem inclamare, et ne quidquam attentarent, exorare, obtestari, suam primo consulumque vitam, quam ullius in discrimine positam ; neque illos immunes futuros, ubi in curia, et civitate regali, legum securitate obvallata, facinus aliquod patraretur. Vix tandem fremebunda subsedit seditio. Et palatinus cum vicejudice aliisque catholicis unitisque medium præsulem habentes, e medio incolumem eduxere incendio. Verumtamen belluinum vulgus vicenotarium terrestrem, Joan-

Salvatur a tumultu cum aliis.

nem Dziahilevicz, optimum unitum, tollere volens, prætorii portam occlusit. Sed medios inter a nullo visus evasit; nec ipse insuper noverat, quo pacto manibus ereptus tumultuantium, medio in foro miraculose comparuerit. At Nicephorus Hryckievicz, presbyter cathedralis Polocensis, a Joanne Chodyka, adhuc ipso schismatico, post Josaphati mortem vero unito et consule, caute eductus, ne ab insaniente periret multitudine. Alii vero huc illuc dilabentes, Deo protegente, salvati. Fuerant eadem seditione duæ feminæ, cum sacrilegis cultris, plures aliæ cum corbibus lapidum plenis subornatæ, ut illæ bestiali laniena, hæ lapidatione barbarica, tollerent Josaphatum. Nondum tamen veniente ejus hora, meditata impia perficere nequivere.

Josaphati benignitas in inimicos.

Nec vero in hoc ex tantis periculis reditu, comitatis suæ et irasci nesciæ mentis oblitus Josaphat, obvios e parricidis, alios blando alloquio, alios amplexu paterno, alios osculo pastorali dignabatur, et nihil nisi unionem etiam tum exacerbatis stillabat animis. Adeoque felix ipsius benignitas fuerat, ut primarios motus istius auctores ad unionem pellexerit. Joannes enim Terlikovski aliique sua sponte brevi ad aulam ejus, animo præstandæ venere obedientiæ. Quos cum media aulæ area conspexisset, misericordia motus est, et currens cecidit super colla eorum, suaviter amplexatus et osculatus est eos : filiosque carissimos identidem vocitans, blandeque consolans, ipse lætior quam dici aut concipi posset, ex nunc

Conversione inimicorum lætus Josaphat.

Patri misericordiarum ac Deo totius consolationis in ecclesia cum cantu præsentavit, gratiasque pro eorum conversione peregit. Quod ipsum ille ut antea semper, sic postmodum observare solitus, cum animam aliquam unioni sanctæ lucratus fuisset. Constitutam quippe in templo, vel alibi, coram oculis semper vigilantis Domini, suave rorantibus lacrymis aiebat : *Deus meus, ecce errantem inveni ovem, tibi eam commendo.* Hæc moderatio et benigna comitas itinerantis quondam Josaphati nobilem Soroka cum tribus filiabus, ex hæresi calviniana catholico annumeravit gregi. Transibat is oppidum in Lithuania Dudy vocatum, et cum ad parochum descendens commoditatem non reperisset, instillante eodem, dictum nobilem hæreticum per quam asperum viseret, commoditatis suæ et salutis ejus occasionem habiturus. Perlibens eum accessit Josaphat, sed frigide excepit paterfamilias. Molliter cum eo vir Dei de rebus fidei egit, et cum se calvinistam esse fassus fuisset, fortibus decertantem convicit argumentis, ut solum ei ad catholicam fidem velle defuerit. At filiæ tres, rationibus Josaphati, Deo cor tangente, illuminatæ, virum Dei optime locutum fateri, et parentem, ut errore hæreseos ejurato, catholicus fieret, obsecrare. Non assentiente illo, ad pedes præsulis advolutæ, fidem sanctam professæ, eidemque postea confessæ. Postquam rescisset id parens, indignari Josaphato, verbis indecoris afficere, et ut domo cederet, acrius instare. Cessit, canibus etiam immissis eductus,

In relatione Rotæ Auditorum.

Nobilem hæreticum mirabiliter cum tribus filiabus convertit.

cum summa animi sui atque famulitii, ob despectum impatientis, moderatione. Ægerrime tulere eam parentis inurbanitatem filiæ : et sapientiam, modestiam, pietatem, personam præsulis, inquiebant, ponderaret, vindicemque Deum pertimesceret. Indoluit iste, et equo conscenso Josaphatum assecutus, pedibus accidit, parsum sibi vellet, pluribus deprecatur. At ille nihil sibi injuriæ factum, filiabus solum libertatem catholicæ permitteret fidei, orat. Commotus bonitate, amplius iste, se quoque futurum catholicum, domum rediret suam lacrymabundus postulat. Sed itinere prægnanti præpeditus Josaphat, in lapide viæ proximo considet, hæresim ejurantem, lacrymantem, totius vitæ scelera confitentem nobilem audit, et amabiliter dimittens, discedit. Stupuitque parochus, se multis non perfecisse annis, quod Josaphat una præstitisset hora.

Convertit alium nobilem hæreticum.

Commemorare hic placuit alium in aliis zelum Josaphat occasionibus. Rutæ prope Novogrodecum, apud metropolitanum Josephum vir Dei fuerat, cum ipsi innotuisset, nobilem quemdam hæreticum ægerrimum esse. Accurrit, fidem sanctam persuasit, confessionem ejus excepit. Et hoc a moriente elogium audire meruit : *Nunc cognovi, quod Deus angelum suum miserit ad me.*

Convertit hæreticam quamdam.

Inaudiverat idem, conjugem Drogisensis gubernatoris, egregiam nobilem, periculose decumbentem; multoties adiit illam, ad fidem suavibus verbis et modis incitavit. Molestumque sibi eum

æstimans, in venientem postmodum ad se ferociores emitti canes jussit, ut importunum ejusmodi ausu domo arceret apostolum. Sed ferocitatem exuti canes, dominam ad mansuetudinem deduxere. Constantia enim Josaphati evicta, Deo et fidei sanctæ manus dedit.

Schismaticam aliam, magnæ stirpis feminam.

Theodoram itidem Voloviciam. Christophoro Zienovitio, palatino Polocensi, connubio quondam junctam, sed duram schismaticam, emollire desideravit Josaphat. Et cum sæpe, licet modestis, ipsi tamen molestis, modis sanctam persuaderet unionem, canum itidem illa ferocissimo præsidio domum suam munire mandavit, Josaphatoque opponere; ne amplius eam invisens, super abjicienda molestaret orthodoxia. Sed etiam hi mansuefacti, adire immansuetam dominam illi permisere. Et Deo miserante mansuescens, in fide sancta palmam victori præbuit Josaphato.

Pertinacia schismaticorum

Tali Dei dextera, ipsius Josaphati juncta comi dexteritate, schismaticis quoque aliis mollescentibus, atque unionem et obedientiam S. R. Ecclesiæ amplectentibus, aliis vero in sua duritie persistentibus, cum Josaphat in dies, tum etiam conversi probavere uniti, quantum insit obstipo schismati pervicaciæ. Sanguis enim sanguinem oderat proprium, ut et oculi cognatorum a cognatis averterentur, et ab intimis amica fugeret salutatio. Mater etiam visa oblivisci viscerum suorum, quæ septemdecim annis filio, Dorotheo

et feminæ cujusdam.

Achremovicz, ad unionem converso, nunquam

bonum in domo suo commanenti prolocuta sit verbum. Et cum ei, pluribus post fata Josaphati miraculis inclarescentis annis, deleta a Moscis Polocia, in aula sua Antonius Sielava, Josaphati successor, locum habitationis ad breve destinasset tempus : illa ituram se ad arcem pollicita (aula enim et cathedra in arce), sed ad sepulchrum Josaphat non ituram. Non ivit sane, quia neque potuit, brevi a quodam milite casu in pede trajecta. Neque solum gaudebant refractarii, pastoris obsequium detrectare, verum etiam in processionibus, conversationibus, acribus eum incessere conviciis. Alii vero legem implesse sibi videbantur, cum lutum, lapides, sparos, in eum, in clerum comitatumque ejus projicerent. Adeoque graviter insontem insectabantur præsulem, ut iterum iterumque vitæ ejus machinari, etiam Polociæ, non dubitarint. Consul quidam inauditum ausus facinus, cum infantes baptizaret, simplicium confessiones exciperet, aliaque infanda attentaret. Fuere qui parvulos absque lavacro sancto, et ægros, licet presbyteros unitos desiderarint, absque pœnitentiæ sacramento emori sinerent, ne unitorum obsequio uterentur : ex doctrina videlicet insignium eruditi schismatis pastorum, qui aperto coram cœlo, aut simplici homini, aut surdæ arbori, confiteri potius, quam unito latinoque sacerdoti, persuadent.

Pœna ejusdem.

Sacrilegia schismatici cujusdam.

Accurrere etiam non Polocenses solum, sed etiam Vitebscenses et alii ad aulam principis, ac dolosis

A schismaticis Josaphat traducitur.

supplicationibus, severitatis, oppressionis, graviumque injuriarum, virum Dei insimulare ausi. Creditumque simulatæ pietati. Hinc maximi nominis senator, tum cancellarius, Vilnensis postea palatinus et supremus exercituum Lithuaniæ dux, litteras ad eum peracres, indiscreti zeli, imprudentiæ, violentiæ, arguendo dedit. Æquanimiter id a Josaphat acceptum; et responsum ejus ut demissum, sic grave, non minus modestiam, quam eruditionem spirans, spiritu catholico et digito Dei scriptum videas. Quo adeo magnatem illum delinivit, ut per amplas ditiones suas unioni subjici voluerit, ejusque dignus tanto parente filius, Casimirus Leo Sapieha, procancellarius M. D. Lithuaniæ in eadem conservavit. Quinimo ille idem senator, quorum id temporis patrocinium ex insimulatione susceperat, eorumdem, post fata Josaphat, sceleratissimi facinoris acerrimus vindex et judex exstitit. Et quidem illud ex responso Josaphati minime reticendum, quod fatidice dictum acceperis. Monebat vir ille gravissimus Josaphatum zeli temperandi: quod plebs insolens inclamaret, *malle se sub jugo turcico cum libertate esse religionis, quam cum ejus diminutione, sub dominiis regni Poloniæ.* Et Cosacos bene de republica meritos, verumtamen male compositos, non excitandos, qui etiam tollendam urgerent unionem. Tum ille in dicto responso, plebem pro tanto ausu compescendam; Cosacorum autem recentem in Turcas dexteritatem, non ipsis, sed fidei catholicæ et prin-

Senator quidam eum litteris arguit.

Josaphat modestia triumphat.

In responso Josaphati prædictiones de Cosacis,

cipis pietati adscribendam. Quod si pluris illi, quam catholica unio æstimarentur, eorumque voluntati præter Dei voluntatem obsecundaretur, verendum ne, quemadmodum populus Dei per Philistæos, quibus indulserat, ita respublica per eosdem palpatos plectatur Cosacos. Posseque resurgere in rempublicam, factas ante ipsam unionem schismatis et variarum sectarum conspirationes. Ac ne idem in patria fiat, quod in Silesia et alibi, pertimescendum. Cosacorum insolentiam, unionis discrimine non cohibendam, sed dissolvendam; quin etiam postmodum, neque conscientiam, neque Deum Dominum, neque unctum ejus curaturam, ac plura illo quondam perduelli Nalevaicone ausuram.

Hæc 1622 a beato martyre scripta sunt anno. Et quod tandem in gratiam exercitus Zaporoviani schismati sequentibus indulta non sunt annis? Cathedra Kioviensis metropolitana concessa, Luceoriensis et Premysliensis episcopatus traditi, Polocensis archiepiscopatus divisus Mstislavensisque episcopatus erectus; tot in tanta vastitate Russiæ per alias diœceses donatæ ecclesiæ, ut pax in diebus nostris fieret. Quid ergo, sopitus ne ignis, cineri suppositus doloso? certe juxta prædictionem Josaphati, ab anno 1648 in hanc usque tempestatem, quos nos centauros pegasosque viderimus Tartarorum, a gratiosis istis militibus intermissos? Quæ non monstrosa mala ab illis ipsis matri suæ invecta? per ipsos atris Moscorum aquilis, Mol- factis comprobatæ.

davicis lunæ vasallis, transmarinis Suecorum leonibus, evangelicis Hungariæ apostolis, Pruthenicis hæreseos sociis regina gentium, quia liberrima omnium in orbe, Polonia, misere patuit, et ingemiscens in sua majestate, opulentia, robore, amplitudine, consedit vulnerata. Et nonne hæc graviora censenda, quam quæ olim rebellis ejusdem fæcis dux Nalevaiko intulerat?

Prædictiones de unione.

De unione vero, in eodem scripto multa prolata ejuscemodi concludit Josaphat epiphonemate : « Certi sumus, Deum fortem usque in finem huic « operi suo benedicturum, omneque præpedi« mentum, non Cosaticum duntaxat, sed etiam « tartareum sublaturum, absque ullo nocumento, « imo cum magna solaminum unionis divinorum « ampliatione. Sane in tot tantisque reipublicæ « malis, dum unio decumanis sepulta videretur « fluctibus, benedixit Deus operi suo, sublatæ « tempestates, debellati orci assultus, insolentes « sedati fluctus, promissa demum cœlo operatur « unio solatia. »

In Moscoviam ire persuadent Josaphato Polocenses.

Proficiscebatur sub ea tempora princeps Poloniæ Vladislaus in Moscoviam, vivente Sigismundo III, rege et parente, ut electus dux. Quare vel ut ab unione Polocenses, blandientium an sugillantium specie, Josaphatum revocarent, an vero se ipsos ab illa liberarent : ne unitus esset, orare : iret in Moscoviam cum principe, suadere : sua pietate illic et doctrina omnes Moscos conversurum. At ille : pro unione catholica animam suam paratum projicere :

abirent nec tentarent. Hanc speciosam artem videntes protritam Polocenses, simulque Mohilovienses agressi aliam : ad patriarcham Constantinopolitanum proficisceretur, et illi deferret obedientiam : impensas omnes abunde et mercedem longe ampliorem daturos; se vero dicto obsequentes futuros. Ad patriarcham se non profecturum intulit præsul, sed unioni sanctæ et obsequio pontificis romani immoriturum. Etsi iturus esset, non obedientiæ præstandæ, sed convertendi ejus ad sanctam romanæ Ecclesiæ unionem causa aditurum. Et vero adeo scindebantur in contraria studia schismatici, ut Josaphatum pro pietate benedictum, sanctum dicerent, et tanquam angelum diligerent; pro unione vero, pejus cane et angue odissent : alias eum inauraturos, si a partibus suæ esset orthodoxiæ.

Mohilovienses vero ad patriarcham Constantinopolitanum.

Verumtamen non defuit Josaphatus, obstinatissimis hominibus, qui eorum frangeret pervicaciam, et ad unionem, quam Smotriscius perturbaverat, eos alliceret. Mensæ enim eos sæpius adhibuit : et licet non eguerit, ab ipsis tractari non recusavit, imo sponte sese ingessit. Ubi omni animi moderatione, eloquii solertia, testimoniorum soliditate, ex libris præcipue vetustis slavonicis, Spiritus S. processionem a Patre Filioque, Sedem Romanam Ecclesiæ totius principem, cæteraque schisma inter et unionem controversa, ita clare deducebat, ut si voluissent, palpare potuissent. Visebat eos in domibus, venerabatur in plateis, exorabat precibus, exhortabatur concionibus,

Modi ejus agendi cum schismaticis.

ut schisma rejicerent, unionem amplecterentur. Nonnunquam alios pia vi adeo coegit, ut non prius a se dimiserit, donec vel ex nunc ipsi, vel post aliquot dies redeuntes confiterentur, abjurarent schisma, unioni manus darent. Pro concione quadam, multis auscultantibus, deducta Spiritus divini a Patre et Filio procedentis origine, divi Petri successorumque ejus universam super Ecclesiam principe regimine, totus in lacrymas solutus

Multi convertuntur.

mori se pro ea fide ex nunc paratum contestatus est. Cadebant occulte in duras cautes hæc sancta stillicidia, et multi liquefacti unioni sincerius adhærebant. Privatis colloquiis duriores blande compellans schismaticos, occidere ipsum velle eos, aiebat: sed scirent, eum libenter animam pro veritate catholicæ romanæ fidei effusurum. Mira-

Desiderium mortis pro fide.

culo certe fuit universis, plus eum mortem, quam vitam alios expetiisse. In consessibus, ad mensam, domi forisque, mors in ore ejus: utinam nimirum pro Christo, pro Deo, pro sancta fide, pro unione, pro pontifice romano, vitam profundere posset. Videbatur quoque inter dicendum dulcedinem quamdam lacrymis testatam persentiscere. Inde alii quoque sine lacrymis eum, nec intueri, nec audire potuerunt. Hac ejus amabili comitate, et ardenti vitæ pro veritate catholica contemptu, multi Polociæ ad unionem sanctam ac obsequium sanctæ apostolicæ sedis reducti, constantiores postmodum se ipsis fuere.

Evertit schismaticorum synagogas.

Ovium itaque obsequio palatinique Polocensis

uniti fortior præsidio, vesanæ plebis excitatas extra mœnia synagogas demolitur, submissos pseudopresbyteros Polocia abigit; unde pax unioni major. Sed in aliis civitatibus a Smotriscio injectum prævaluit incendium. Et esto populum refractarium cum benignitate non posset, edictis regiis, judiciisque variis ad obsequium redigeret; hac nihilominus medela paucis profuit. Rebellem itaque clerum pœnis coercebat, sed mitioribus quam meruere. Quidam parum profuturis pressi carceribus, diœcesi excedere jussi. Quisque e laicis pervicacior, ecclesias veteres deseruit, et in synagogis erectis domibusque minime devota Deo exercuit vota.

Eosdem varie coercet.

Et Vitebsci eas a diametro aulæ præsuleæ, trans Dunam, statuere, sæpiusque ibi præsente, quam absente præsule celebratum, ut contumaci eum affligerent devotione. At mitis Josaphat, ex fenestris suis, non Deo canentes, sed sibi insultantes, audiens, pastoralibus coram Deo deflebat lacrymis, orabatque ne hoc illis in peccatum statueret. Hanc impunitam magis auxere contumaciam. In curia quippe Vitebscensi, præsente castellano Zavisza aliisque, comparens Josaphat, persimiles Polocensibus regiæ majestatis legi jusserat litteras; sed clamores exciti, ubi de unione et præsule unito, cui obedirent, audivere; conjectisque in cumulum pileis, qui modus barbaricæ in caput Josaphati conjurationis fuerat, parum abfuit, quin omnes cum Josaphato trucidarint. Sed manu Dei protegente illæsi evasere. Solemnem progressum anno

Vitebscenses contumaces deflet.

Tumultus eorum.

Processionem impediunt.

1622, in festo Pentecostes, ad ecclesiam Spiritus sancti, vir Dei instituerat; cui ponte super sublicio obvium sese tulit nobilis Vasilevski, Vitebscensis præsidii præfectus, religione schismaticus, multitudine suorum septus, qui omnibus in pastorem debacchatus conviciis, cum vim detrudendi eum de ponte adjecisset, processionem confusam reverti coegit. Hic brevi post tempore, herodiana vitam interclusit ægritudine. Levius tamen hoc æstimatum præ illo, cum pro celebritate Transfigurationis Domini anno 1622 solemne Josaphat ageret sacrum. Maximum enim Turczynovicz, religiosum et presbyterum, in sacro ornatu, tempore oblationis ex adytis more Græcorum procedentem, rebelles arripuere : et fere lethali in medio ecclesiæ fustuario tractavere. Occisuri ad aram præsulem, ni ab equestri latino et unito grege coerciti fuissent. Pro concione Vitebsci fortibus invehentem in schisma Josaphatum argumentis, Adamus Kosov, ejusdem sectæ alumnus, trajicere globo statuerat, nec Dei vindictam effugit, excæcatus. Inter alia molimina, Vitebscenses consules quemdam concivem suum piscatorem instruxerant, ut vectum flumine pastorem, ex tubo ferreo emissa glande mactaret. Sed quia personam non noverat, et tres cymba vehebantur, sceleri tum patrando supersederat. Cum vero in ecclesia præsentem bene inspexisset, sequenti anno, ad idem inductus facinus commodo se constituit loco. Et jam prætervecto alio, quo famulitium portabatur lintre, alio cum

Ad sacrum baculis feriunt sacerdotem.

Occidere Josaphatum moliuntur.

præsule subsequente exsequi, et cor ipsum tangere parabat : cum obversus ad parvum a tergo stantem filium, ponderare cœpisset, trucidato præsule, ipsum evasurum, nequaquam filium, qui si caperetur, necis auctorem propalandum. Atque ita scelestus iste ab intento cohibitus facinore. Enim vero non præsul ipse, non clerus, non servitium, vel maxime Vitebsci, comparere unquam potuit, quin vel verbis, vel verberibus, vel emissis jactibus et lapidibus, vel alia quavis premerentur despectuum ratione.

Dum alias visitaret civitates, nec Mohiloviam reliquit. Sed Mohilovienses introitu eum prohibuere. Omnes nempe armis instructi, et extra valla progressi, bellica e propugnaculis vallisque tormenta opposuere, crudelissima quæque in vitam pastoris ausuri. Qui fidei sanctæ ardens obsequio, in medios lætissimus, vitæque prodigus ruebat ignes. Sed zelosi schismatis resistente ferocia, et catholicorum submissa deprecatione, quam desideravit, in aliam occasionem protelavit mortem. Iidem Mohilovienses, alias archipræsulem accesserunt, triginta polonicorum florenorum millibus, seu novem scutorum, insolentem religionis libertatem licitantes : presbyteros ab ecclesiis eorum non amoveret, exerceri orthodoxiam sineret. Quibus ille, se animarum salutem, non pecuniam desiderare ; et cum illa vendi minime possit, nec ista insolentia concedi. Mstislaviam descendens, ut pastor bonus, errantes quæsivit oves; sed et pasto-

Mohilovia armatur in eum.

Pecunia tentant.

Mstislaviæ cædem molitur quidam ei,

rem rebellis ovis, magnæ quidem stirpis Masalscius, at impio trucidandi pastoris conatu. Verum nescia mente sortis futuræ, eadem luce, ab hoste suo, lethali prævenitur globo. Immemor malitiæ perditi hominis, accurrit Josaphat, conciliaretur sibi, ut mox judici æterno præsentandus : schismati valediceret, uti vitæ brevi valedicturus : æternæ salutis memor esset, ne per mortem præsentem, æternam inchoaret. Non in cassum salutaris abiit sermo, cum vita et morte luctantem, amicum primo sui, tum Dei effecit. Postquam nimirum catholicam fidem professus, conscientiam coram eodem depurasset. Divino insuper viatico refectum, cum spe felicis æternitatis morientem intuitus est. Nec Orszæ, civitate non postrema Polocensis diœcesis, extra periculum vitæ fuit Josaphat, quam visitatione sua, et modis quibusque piis reducere ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ nisus est. Quippe et ipsa in necem ejus conspiraverat, ac Vitebscenses in scelere tanto, consilio, manu, ære, non minus adjuvare, quam prævenire parata fuit : cum demergendum illum Boristhene minitaretur.

Orszæ demersionem.

Cæduntur uniti.

Conglobata fuerant iis temporibus in unitos mala. Quippe Antonius Grecovicius, Ordinis nostri presbyter et officialis Rutscii metropolitani, Kioviæ, noctu, de lecto a Cosacis abreptus, solo nomine unionis, in Boristhene demersus est. Antonius Butkievicius, itidem religiosus et presbyter, visitator Præmysliensis, in Paschate ipso, ad altare a

sacerdote schismatico germanoque ejus securibus confectus. Matthæus, archipresbyter Szarogrodensis, unionis zelantissimus, per eosdem Cosacos capite truncatur, et in profluentem projectus. Quatuor a Rutscio metropolitano religiosi itidem basiliani, Kioviam ad cathedram S. Sophiæ missi, eorumdem Cosacorum violentia, brevi ab adventu, ipso divæ Virginis natali capti, et pedicis injectis adstricti, Terechtimiroviam secundo Boristhene transmissi. Unde post sex hebdomadas ergastulo educti, et supremo eorum duci præsentati, cum multa tulissent probra, dimissi : sed ne ullus eorum, aliusve de unitis, Kioviæ, capitis diminutione puniendus compareret. Josaphat tres primos certa, quatuor ultimos incerta, cæsos pro fide percipiens fama, illacrymatus, coram nobili Basilio Chotelscio, castri Vitebscensis notario, inclamavit: *O si majores mei, munere me archiepiscopali solutum, Kioviam dirigerent, perlibens ejusmodi oppeterem fatum; vineamque illic sterilem sanguine irrorarem meo, quo centesimum germinaret fructum.*

Inde Josaphati desiderium.

Anno Dei hominisque 1623, die Virgini Annunciatæ sacra, archidiaconum Josaphati Dorotheum, et Emmanuelem Cantacuzenum, domus ejus directorem, ad ecclesiam divæ Virginis Vitebsci euntes, ut celebraturo præsuli ecclesiastica disponerent ornamenta, adeo insolentibus Vitebscenses agressi jactibus lapidibusque, ut Dei et Virginis protectione vitam suam conservatam sint confessi.

Archidiaconus percutitur cum socio.

Et cum solemnem Deo Josaphat eadem die ageret liturgiam, archidiacono cum clero cæterisque ex adytis procedenti, et benedictum pro sacrificio panem in patina ferenti, protervus quidam schismaticus, alapam fortem impegit. Cujus impetu patina cum hostia e manibus in terram prolapsa, Josaphato sceleratam obstupescente insolentiam et ingemiscente. Verum quis enumeret universa? Tota vita Josaphati meta fuit, ad quam odia, minas, proscissiones, injurias, despectus, conspirationes, insidias, cædemque ipsam schismatici collimarunt. Quæ originem suam derivavere, a fonte litterarum Smotriscii in eum, librorumque in sanctam catholicam Ecclesiam conscriptorum. Atque cum Josaphatum præmonerent varii, qui sibi caveret: lætus ille, cupere se dissolvi et esse cum Christo: pro fide potissimum et unione catholica. Nec verbis solum istud desiderium, litteris quoque ad magnos viros datis, luculenter contestatus est. Quondam meditabundus ad Emmanuelem Cantacuzenum, domus suæ primarium, prorupit: proficiscamur Kiŏviam, catholicam illic fidem, sanctamque unionem promoturi. Et reponenti illi, nolle se ibi mori, citius se ista ratione in cœlo futuros, subjecit. Propior morti, non unquam dulcius, nec quidquam sæpius, quam de morte loqui. Ante iter Vitebscianum, Polociæ in ecclesia natali Domini dedicata, propalam de suggestu edixit: non latere se varias insidias, necemque paratam: pro certo nihilominus scirent, mortem se pro Christo, pro

Odiorum causa Smotriscjus.

Desiderium mortis.

sancta unione, pro summo Ecclesiæ capite, unice expetere. Et ægre quodam tempore ferentibus ad mensam nonnullis, quod mortem assiduus masticaret, cuidam opposuit : *te nullus impedit ut comedas, me nullus ut moriar : idque pro Deo meo, pro sancta catholica unione moriar.*

Dissuadent amici ire Vitebscum.

In decursu octobris anni 1623, increbuit Josaphatum Vitebscum iturum; quare quisque amicorum e nobilitate Polocensi, pro suo dissuadere affectu : intentos Vitebscenses ejus vitæ, extremaque moliri : et si penitus ire statuisset, præsidium suorum acceptaret. Recusavit ille, suoque munitum comitatu profecturum. Nec velle ab ullo vitam suam, quam a Deo tueri. Ad martyrium paratum, si modo dignum, qui vitam et sanguinem pro Deo elocaret. Præcipuus amicorum magnique nominis Michael Tyszkievicz vicejudex Polocensis, Vitebscensium bene gnarus machinationum, ne iter illuc capesseret, discrimen evitaret, vitam ulteriori Ecclesiæ utilitati servaret, orabat. Nec voto potitus, se ipsum suosque comites itineris, et vitam suam suorumque pro vita ejus obtulit. Cui ipse cum gratias pro cura sui egisset, nolle se ullum minimo objicere periculo; longe vero magis extremo. Amicorum comitumque frequentia non egere; suo famulitio contentum, discrimen vitæ suæ non adeo metuere. Jam et sepulchrum sibi parari jussisse. Et erecto in cœlum obtutu, ruthenico subjecit idiomate : *Utinam, Domine, dignus efficiar, pro unione, pro obedientia sedis apostolicæ, sanguinem meum li-*

tare. Quibus auditis vir ille egregius, non amplius virum Dei molestavit, sed flens a flente, ultimum sibi uterque valedicens, discessit.

Sepulchrum parat ante mortem.

Et quoniam sepulchri per transennam meminimus, accinctus vir Dei itineri Vitebscensi, non sine divini numinis instinctu, quasi futuræ præscius necis, sepulchretum sibi a patre familias in latere dextro Polocensis basilicæ, propter altare, excavari mandavit. De quo posteaquam Vitebsci paucis ante mortem diebus rescisset parato, singulari quadam lætitia perfusum videre omnes.

Vadit Vitebscum præscius mortis.

Et jam fatalem Polocia Vitebscum ascensurus currum, ultimumque suam visurus cathedram, ad altare constitit : ubi coram judice æterno, et cordium inspectore Deo, sacramento se obstringens, ait, perbelle sibi de schismaticorum in caput suum constare conjurationibus; ideoque ad certam mortem pro Christo subeundam, Vitebscum lætanter procedere. Et trepidantes domesticos solatus edixit : si quid Vitebsci futurum, sibi futurum : neminem alium cædendum.

Octiduo ante mortem concionatus.

Sacrilegum posteaquam accessisset Vitebscum, octiduo ante immania sui fata, sacra conscendens rostra, super illud evangelii (festivitas ea luce s. martyris Demetrii fuerat) : *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo;* sermonem ad parricidas direxit : *Vos me Vitebscenses ad mortem quæritiis : in fluminibus, in pontibus, in viis, in civitatibus insidias struitis : ecce me sponte ad vos venisse videtis : ut sciatis*

me vestrum pastorem; atque utinam pro vobis, pro unione sancta, pro sede Petri successorumque ejus, Romanorum Pontificum, animam effundam meam. Quatriduum vitæ bono pastori supererat, cum principem sui parricidam Naum Volk, consulem Vitebscensem, intimo gratius amico susceptum, cuidam inimico ejus conciliare niteretur, obstinatoque prædixit, ni resipisceret, truculenta brevi tanti periturum morte: et periit, cum reus sanguine pastoris, sub vindice gladio corruit. Prædixit cuidam mortem.

Sed dum lassus ab hisce calamus quiescere intendit, en majores præsuleæ mortis, languenti præ doloribus animo, luctus obvolvuntur.

CAPUT IV.

DE MARTYRIO ET ACTIS POST MARTYRIUM.

Duabus septimanis Vitebsci mansit cum suis Josaphat; et scelesti cives ansam parricidalis violentiæ singulis quæsiere diebus. Clamoribus, minis, contemptibus, urgebant famulitium, ut indignationem accenderent. Sed a domino in officio patientiæ continerentur, moniti, fortem inter adversa Causæ quæruntur mortis.

animum monstravere. Sabbato, in pervigilio extremæ diei, extra Vitebscum, bonorum ecclesiæ limitibus cum quodam nobili Krupevicz diremptis, pro vespertinis eodem properabat precibus. Et quia Vitebscenses extra civitatem, trans flumen Dunam, tumultuarias erexerant, ut dictum, synagogas, sæpe hinc inde per flumen ad illas, et ex illis ad civitatem commeabant : idque propter ipsam archipræsulis aulam. Hinc obvii tum facti ecclesiæ subditis dominum suum ad fluvium, qui transfretandus erat, operientibus, intulere : non diu ipsos cum domino suo superfuturos. Trajecto flumine aulam archipræsul adiit, propositumque ipsi, sacerdotem Heliam schismaticum variis despectibus servitium ejus et clerum affecisse. Quem, ut animosam ostentaret contumaciam, aulam studiose præterire solere, nec monitum desistere. Igitur cum eadem nocte, antelucano ad synagogam percurrus esset, capiendum eum, ex consilio archidiaconi, Josaphat permisit.

Maxime per sacerdotem.

Cadente vespere, Petrus Ivanovicz, consul Vitebscensis, pastoris observantissimus, eum accessit et quid schismatici ea hebdomade in curia civili statuissent, aperuit. Factam nempe infallibilem conspirationem, ut tumultuarie ipsum crastina luce dominica trucident. Cœtum consilii schismatici civitate multifariam egressum, ne parricidium in illos prolabatur. Multitudinem feram, a consulibus instructam, et obstrictam, ut ad facinus sit paratissima. Cederet proinde lymphato furori,

Præcavetur de morte Josaphat,

sed vitare non vult.

vitæ suæ suorumque consuleret. Sed Josaphat : amandatos ad prædium equos, supremæ protectioni se ipsum subjectum, et quod cœlum statuisset, libenter passurum. Obtestatus iterum unitus consul, certam evitaret necem, et ni vellet arma tuendæ sumeret vitæ. Copiamque mox nitrati pulveris attulit, et se ipsum cum suis comitem adjungere voluit, præsule refragante. Cœnæ suorum ultimo assidens, sæpius ac iterum eos solabatur, ne metuerent; si quod periculum ingrueret, suam, non eorum vitam periclitandam. Tota cœna verba mortis, non esculenta in ore fuere : et dulcius illis, quam istis refectus. Archidiacono dicenti, sineret eos absque timore mortis, vel edere quietos, reddidit : quid injuriæ haberet, quod ipse pro Christo, pro fide sancta emori percuperet? **Verba mortis.**

Sane quis noctem illam obscuram, de cœlo evolvat angelus ? insomnem quippe ipsam omnium ore traduxerat Josaphat, ut suum in Deo confirmaret animum. Contemplatione absorptus, mente in cœlum elevata, corpore humi crucis in morem prostrato, humilibus cor Dei vulnerabat affectibus. Tum lacrymæ dulces, tum prægnantes singultus, tum desideria cœlum pulsantia, tum illa assidua, repetita flagella. Aderat tum in secreto cubiculi quidam pauper Tiphon senecio : morem quippe suum et amorem in pauperes nec moriens Josaphat deseruit. Qui et sentire et intueri clanculum poterat ista Josaphati, ad mortem sese armantis, **Præparatio ad mortem.**

munimenta. Asseruere nonnulli, etiam luce circumfusum fuisse, in hac extrema cum Deo sermocinatione. Nocte silente, visæ super domum præsuleam, idque a tribus Vitebsco leucis, atratæ rubræque nubes, et crux nonnullis subrubea, desideriorum Josaphati scopus.

Capitur sacerdos schismaticus.

Interea archidiaconus famulos archipræsulis somno excit : insidias Heliæ presbytero schismatico parat : celerantem ad synagogam pro matutino ante auroram capit : captum culinæ hypocausto includit, Josaphato jam in ecclesia matutinas exsolvente preces. Dum raperetur presbyter, socius ejus vim inclamavit. Mox improbi parricidæ in curia, ac per omnes ecclesias, campanis statuti facinoris signis, insonuere : optimum rati obtentum injuriam presbytero illatam. Ad novum

Oritur tumultus.

molimen muta inhorruere urbis tecta, et noctis amica silentia stupuere. Tantus vero omnium ardor, ut cives, vulgus, viri, feminæ, puerique unanimi ad aulam præsulis ruerent concordia : et triste nubibus cœlum, insontis cupiditate sanguinis tristius, ac magis suffusum redderent. Quodque mirere, ex nunc aliquot e militia, tanquam antea, ad vim paratissimi confluxere. Strepuere igitur cuncta clamoribus, et exhortationibus mutuis vociferantium additi crebri lapidum, fustium et sparorum in famulos aulæ adstantes jactus, bombardisque frequentes ejaculati globi. Famuli ægre se tueri posse videntes, in aulam munitam sepibus sese recipiunt, occlusique similia

regerunt. Audito præsul tumultu, presbyterum dimitti jubet; et post matutinas preces, ecclesia ad aulam per medios conjuratorum progreditur cuneos. Non absque miraculo, quod illæsus transierit. Cum seditio deferbuisset, si quid ulterioris sequeretur tumultus, serio monuit suos, bombardas papyro non globis onerarent, et terrendi solum causa, non occidendi exploderent. Aulam et conclave ingressus ad orationem revertitur, super faciem in modum crucis procidens, lacrymis coram Deo perorat. Et abreptus in cœlestia, solus Deo soli, jamjam instante horra dissolvendi, intendebat. Sed ecce sub ortum solis, qui tum cruentus admodum erat, hora quasi octava diei, in medio horologio, novæ seditionis auctoribus, effrænis multitudo confluere : ad scelus universi incendi. Et alii aulam armis, jaculis, sclopetorumque globis infestant, stramenta et flammas sepibus injiciunt alii. Mox tamen urbi caventes disjiciunt. Nec lædi ullum a famulitio præsulis intuentes, audacius ferociusque insistunt. Tandem quasi christiani nominis hostem solio depulsuri, ac non archipræsulem pium, inermem, et insontem trucidare pergerent, disjecta sepe, erutis foribus, truces armis, rapidis passibus, aulam irrumpunt. Palantes famulos ferro globisque adoriuntur. Atrii fores ad ipsa habitacula præsulis effringunt. Ubi præcipue archidiaconus Dorotheus, ex ordine divi Basilii, et Emmanuel Cantacuzenus, Constantinopoli e familia Cæsarum certo oriundus, Josa-

Sacerdos dimittitur.

Præparatio iterum ad mortem.

Novi tumultus.

Invasio aulæ.

Cædes famulorum.

phati primicerius, eo refugientes, truculenter vulnerati. Cum ille in capite octodecim secta vulnera, e quibus 28 exempta post ossa, in corpore autem innumeras fustuarii tulisset concussiones, ut omnes confractos censeres artus. Hic tredecim vulneribus itidem sectis horrende affectus, ictibus fustium plurimis miserandum concussus. Ambo sanguine ubertim defluente, quasi infra mortuos amandati essent, in terra projecti. Cæteri aut globis læsi, aut vulneribus saucii, aut fustibus cæsi, qua data via dilapsi, perdurante in atrio Gregorio Uszacki graviter vulnerato. Cui quidam notus parricida : *et tu*, inquit, *unus es ex illis? nonne pridem sciebatis hæc vobis quandoque eventura?*

Prodit præsul. Tum quasi de sommo correptus præsul unitam cum Deo rupit orationem, et certus brevi abrumpendæ vitæ, ad sicarios processit. Fores cubiculi ipse aperuit et clausit, ac in atrio palam constitit. Dein crucis sanctæ signo parricidis impertito, sinistro ejus lateri hærente Gregorio, blande profatur : *Filioli, quare famulos meos insontes cæditis? Si aliquid contra me habetis, ecce adsum.* Steterunt attoniti parricidæ, quasi quidpiam divini manus eorum coercuisset; donec duo absentes cum loqueretur, ex opposita camera erupissent, cædendum, trucidandum, latinum, papistam inclamantes. Et cum **Cæditur.** vir Dei, ut agnus occisionis, manus in pectore decussatim poneret, alter oblongo fuste caput petiit, alter bipenni a parte sinistra horrendum dissecuit.

Cadente in terram præsule, quo quisque telorum poterat genere, quatere, fodicare, vulnerare, ut nec hominis facies archiepiscopalis videretur. Sed media inter verbera, elevat manus et vocem præsul : manu se ipsum forte signaturus, ut libenter tolerare se crucem per crucem fateretur. Voce Deum inclamabat : *O Deus meus!* fortasse dicturus, ne imputaret peccatum sceleratis, sed dimitteret parricidis. Nec finem signandi dicendique imponere valuit, cum vociferantibus latronibus vivere adhuc eum, celerrime duabus glandibus plumbeis sclopeto explosis in capite trajectus fuisset. Nimirum improbam parricidarum ferociam non majestas tanti præsulis, non religio christiana, magis patiens quam inferens violentiam, non legum severitas imminens, non ultor innocentum a tergo Deus, a tam crudeli cohibuit barbarie. Cognoscat omnis, quæ vivit in schismate anima, ad quantum Vitebscenses deduxerit facinus zelosa pastorum suorum orthodoxia. At Josaphat, ut puerulus a Deo de cruce pendente per scintillan in cor accensus cadentem, ita Deum toto vitæ suæ ardens cursu, in ipso mortis agone, eum tanquam Deum suum dulciter possedisse testatus, victor et ovans in cœlos abiit.

Ultima ejus verba.

Diripuere postmodum Josaphati, famulorumque ejus supellectilem prædones, vasa ex argento et auro confecta, nummos, scrinia, vestes, peristromata, privilegia, fundationes, jura, arma, æs, stannum, mensalia et culinaria instrumenta. Et

Rerum direptio.

perfractis seris, quo quis indigentior eo nequior, victualia e penu tumultuantes inter se dividunt. Currus, fenestras, portas, fornaces, sellas, cubicula, hostilem in modum devastant ac depopulantur. In cellario potibus more helluonum sese ingurgitant; ac primum dolia de monte aulæ, dicto Deiparæ. in quo sita ecclesia, tum archidiaconum, iterum iterumque fustibus conquassatum, cum clamoribus et cachinnis seminecem dejiciunt. Nec tamen ille quidquam ex dejectione passus, Judæorum miseratione receptus, et curatus est. Cantacuzenus etiam a quibusdam in tutiora relatus. Miraculo duplici universis fuere: quod ex tot grandibus vulneribus non perierint, sed plurimis annis supervixerint. Et veredica Josaphati fuisse verba super se ipsis probaverint: periturum neminem, nisi ipsum solum.

De monte projicitur archidiaconus.

Vivus cum alio superest.

Ad præsulis cæsi corpus, innumeris omnium ludibriis expositum, reversi lurcones, in aream illud extrahunt. Ubi demirandam virtutem canis experiuntur: qui dominum suum eo usque tuitus est, unumquemque ab illo latratibus et morsu arcens suo, ut prius in corpore domini securi dissectus interierit, quam accedere aliquem ad dominum, aut e loco abripi, passus fuerit. Documento posteris execrandæ barbariei, quæ cum ferarum more in pastorem sæviret suum, oblitus naturæ canis, humanitatemque indutus, in efferatos armarit se homines. Nec veriti naturam, efferatique rabie, inhonore vestibus præsulem exspoliant.

Corpus præsulis ludibriis exponitur.

Canis in eo cæditur.

Spoliatum, cilicio tectum, cinguloque setis asperis ac ferramentis intertexto præcinctum, in capsa sutannæ flagellum seu disciplinam reperientes : pontificem an simplicem trucidarint monachum, stupefacti hærent : non fuisse eam Josaphati virtutem, mollibus assuetam, ut ejusmodi uteretur armis, dictitantes. Gregorium igitur Uszacki, vulneribus sat jam gravatum, et Joannem Jedlinski, Cantacuzeni famulum, ex latibulis protractos, quis esset inquirunt, verberibus iteratis fateri adigunt. Sed frustra pietati Josaphat obstrepuerint, cum mori potius ipsi, quam non Josaphatum fateri, parati essent. Judæis etiam approbantibus illum ipsum esse, si cilicium haberet, quippe qui nunquam portasset indusium.

De cæso præsule dubitant.

Læti proinde victoria, quasi sepultæ insultarent unioni, super corpore tanti martyris nudo, alii sedere et perpotare, alii saltare et despuere, alii barbam cæsariemque vellicare, alii ex feritate et sævitia fustibus pulsare. Feminæ etiam, et vetulæ, et pueri, non disparibus certare nequitiis : super faciem sacrilegas calceamentorum soleas imprimere, et quidquid ingeniosa suaderet malitia effundere. Non pudor ulli, non honestas : cum etiam impudica naturæ et pudori inferrent opprobria. At vero cœlum non desiit a suis in Josaphat favoribus : cum hi talia, illud desuper lumen demisit : velaret nuditatem, an ut clariora in nuditate redderet ludibria. Quin etiam cilicio penitus nudatum, ad pedes funibus applicitis, per

Iterantur ludibria.

Prodigium.

Per urbem nudus trahitur.

urbem lymphati homines corpus principis ecclesiæ, egregiæ pastoris sui oves, et grex si dicere liceat catholicus, quod non auderet Turca, abhorreret Scythes, immanibus cum sannis et vociferationibus, plus quam ad gemonias trahunt scalas! Postquam ad montem altum, salebrosum, ac præruptum, super Duna vel Rubone fluvio constitissent, inhumano corpus sacrum propellunt impetu, ingeminantes: *Firma te, firma te, episcope.* Et mirum, quod non minutatim discerptum: si quidem, non hostes modo, sed etiam ipsi judæi asseruissent, non potuisse fore etiam minimum os in præcipitati corpore integrum. Verumtamen multis post annis, plurima illud videre illæsum millia, Deo Domino custodiente sancti sui ossa, ne vel unicum ex illis comminueretur. Asserunt quidam, in ipsa dejectione nubem modicam super corpus præsulis pependisse: ex qua instar pyramidis lumen levatum, cœlos sensim petiisset. Dixisses nubem hanc et lumen corpus divi martyris leve et cœleste, ne læderetur, effecisse.

De monte detruditur.

Corpus dejectum non læditur.

Nec reticendum videtur in erecta cruce, ad memoriam de hoc monte projecti, non læsi miraculo corporis, commissariorum primorum epigraphe: videlicet, Deum, qui corpus martyris conservaret incorruptum, ob integre servatam in vita castitatem, integerrimum ad ripam demisisse. Hic ubi constitit, advolavere scelesti naviculatores, et lintri illud imponentes, inde post mille passus, adverso flumine, avexere; et cilicium ad collum

Duna mergitur cum lapidibus.

fortius obligatum saxis replentes, pedibusque grandem alligantes lapidem, in loco ad viginti cubitos alto demersere. Nec frustra eum locum, ab avitis temporibus, putei sancti nomine dictum, ut ipsi in processu testes aiunt : cum tantum ceperit sanctum. In prima commissione juratis probatum testibus, in quo corpus mergebatur loco, lumen in aere splenduisse, virumque in eo venerandum, qui cum lumine in flumen descenderet, visum. Corpus etiam emergens dictos naviculatores abscedentes, in aqua cum lapidibus secutum : ita ut coacti fuerint ad locum redire, iterumque illud demergere. Eum sane in modum iniquum schisma de innocente triumphavit Josaphato, ut parum æstimarit in vitam ejus crudeliter sæviisse, nisi in corpus etiam, ultra omnem barbariem, debacchatum fuisset. Nec satis habuit inter homines eum desiisse, nisi cadaver etiam, cum infra terram nequiret, infra aquas amandasset. Non potuit nimirum gravius in unionem fidemque catholicam testari odium, et in divinum principatum romanæ Ecclesiæ majorem rabiem, quam si Josaphatum, unioni promovendæ insudantem ac ad S. R. Ecclesiæ obsequium errantes reducentem, tam acerba, crudeli, infami enectum ferocia, altissimo fluminis alveo funerasset. Nec dubitavit ullus testium, sacro coram tribunali, in processu Polocensi asserere, Josaphatum pro S. R. Ecclesia, pro pontificis romani obedientia, ejusmodi obiisse letho. Fuere, qui schismaticorum id temporis referentes

Novum prodigium.

Occisus pro sancta romana Ecclesia.

verba protulerint, pontificiam latinamque fidem, et obedientiam pontificis romani, occidisse Josaphatum. Et hic quidem omnium catholicorum et hostium est fuitque sensus, et fidelis contestatio. Quinimo parricidæ ultima spirationis suæ periodo professi, Josaphatum pro suprema Petri ejusque successorum amplitudine hostiam Deo, Petro ac pontifici romano cecidisse.

Nebulæ crassæ occupant Vitebscum.

Et vero tam atrocem barbariem, cœlum summe doluisse visum, cum solito tetriorem ægyptiæque persimilem, insuper humidam toti Vitebsco et proximis locis infudisset nebulam : ut alius alium non facile cominus discerneret. Nimirum post præsulem in aquis funeratum, ex aqua lugubrem confecit Deus parricidis ornamentum : ut vel eo ipso largius deflendi monerentur sceleris.

Eadem die, si dies, et non feralis nox dicenda sit, cum silentium altum post sedatos ageretur tumultus, nubes spissis supra Vitebscum inhorrescerent tenebris, et tristis vesanam parricidarum lætitiam obruisset angor, vesperascente die, Joannes Uzeniecki vicepalatinus, Philippus Osipovski, judex castrensis Vitebscencis, ambo hæretici, frequentia variorum stipati hominum, aulam ingressi, fœde omnia desolata conspexere.

Ad ecclesiam progressi invenere occlusam interiore cistam sera, quam sicarii cæso archiepiscopo, partim clavi propria, partim adulterina, securibus demum aliisque instrumentis recludere nisi, nec potuere. Et quia dictus magistratus re-

sciverat sacra illic conclusa apparamenta, ad arcem ferri mandavit : dum vero locum sanguine martyris abunde respersum præterirent, cista quasi impulsa e manibus ferentium in terram profluxit, sponteque aperta super sanguinem lintea sacra, calicem, patinam, stellam et crucem effudit. Calix volutus in sanguine, ad cœlos labro conversus; cætera ut ad missam disposita. Facturus erat sacrum incruentum, hac dominica die, pompa solemni præsul, nec cæsus potuit. Testatusque in sanguine consistens calix, proprium cruorem Deo præsulem litavisse. Viderunt prodigium castri præsides, ac multitudo perfrequens, multumque demirati. Nullo autem e clero præsente, Timotheus Czeczerski e famulitio archiepiscopi unitus, tremebundis manibus, sanguinolenta lintea et vasa eidem decenter imposuit cistæ, quæ deinde in arcis templum delata.

Prodigium de cista et calice.

Visa etiam eadem die a plurimis Polociæ columna ignea super Vitebscum, esto viginti quatuor distaret leucis : ut denotaret, protritam Vitebsci ardentem Ecclesiæ columnam cœlos conscendisse. In eadem urbe Polocensi infantulus Simeon, qui nec duos excesserat annos, Dorothei Achremovicz, viri consularis et egregii uniti, filiolus, in crastinum mortis divi Josaphat de somno excitus, parentibus et familia domestica adstante, patrem nominans proclamavit : occisum Josaphat, quem Deum imperita, sed innocenti voce appellavit; et a stupefacto quæsitus parente, quis esset ille Deus,

Columna ignea super Vitebscum visa.

Infans occisum denunciat Josaphatum.

intulit : qui ecclesiam albam ædificasset. Cum dictis, ad solitum loquendi tempus obmutuit; nec quidquam ea luce Polociæ de tanto scelere, nisi sequente innotuit.

Cum pluries ante quæsitum in aquis fuisset corpus, 16 novembris, quæ jovis fuerat dies, de mandato præsidum arcis, proposita centum polonicorum florenorum merces piscatoribus, corpus præsulis inquirerent. Igitur hac et sequenti quæsitum die, nec propter summam ejus loci, qui corpus hauserat, profunditatem repertum. Tandem promicante e corpore demersi per aquas luce, qua proximus quoque resplendebat aer, horis ante meridiem aliquot inventum. Quod ubi in civitate percrebuisset, effluxere portis universi, qui aderant, sceleris quoque tanti conscii parricidæ. Præcurrerat ad locum, quarta parte leucæ a civitate distantem, Joannes Chodyka, consul Polocensis, qui duobus ante diebus Vitebscum pro suis appulerat negotiis. Advertitque stantes duas in ripa cymbas: martyris autem corpus in flumine adhuc pedibus ripam versus jacens. Collo, fune crasso alligatum, saxisque refertum inerat cilicium. Ad pedem quempiam, lapis grandis fune persimili revinctus. In cymba alia depositus tapes, et cervical altera ex parte panno viridi, altera holoserico nigro florido obductum. Alia cymba stabat vacua. Interim, Vitebscencis territorii nobilis, Chrapovicki supervenit, magna civium Vitebscensium multitudine comitatus. Mox tapetem porrexit Joanni Cho-

Luco ex aquis promicante, corpus inventum.

Acta circa inventionem.

dycæ, arceret visum populi : nudissimum enim sacrum fuerat cadaver. Ipse vero flagello, populi curiosos nuditatis intuitus, abigebat. Ac lintrium alius extractum corpus, tapete contectum, alius lapides accepit tam grandes, ut duo robusti viri ferre illos nequirent. Dein, sub arcem secundo perrectum flumine. Hic feretro parato exceptæ martyris exuviæ, straguloque decenti contectæ, in ecclesiam S. Michaelis unitorum illatæ, cum cantu et planctu quam maximo, unitis sacerdotibus et populo prægrandi deducentibus. Continuo vero ut extractum corpus flumine, horridæ crassæque cecidere nubes, cum sex diebus illis cœlum inhorruisset. Et tum demum dies claruit lætissima, parque æstivæ; quod in borealibus insolitum plagis; ut cœli quoque ipsi de inventis martyris lipsanis suam testari lætitiam viderentur.

Nubes post sex dies concidunt.

Cæterum cum fuscam vivus speciem habuerit, mortuus longe albior, admixto rubore, comparuit : forsan scelus ovium suarum erubuit, an impias oves erubescere voluit. Labra purpuram et corallium ferebant, gloriam cœlestem spirantia, et quasi loquerentur vivacia. Oculi veluti data opera clausi : ne parricidas intuerentur : an vero ut insipido eorum zelo conniverent, tanquam nescientibus quid fecerint. Facies quondam vivi peccatores intuentes ad frugem bonam hortabatur ; mortui jucundam profundens gratiam, etiam saxea hostium corda emolliebat, ut in lacrymas solve-

Pulchritudo post mortem.

rentur, et desiderarent, quem perdidissent. Nec horridus, ut demortui, sed amabilis, ut vivi solent, cordaque vulnerans omnium jacuit. Nulla pars corporis sacri in aquis læsa fuit, esto peracutis uncis tractum : angelis dubio procul mandatum numinis de custodiendo illo servantibus. Vulnus grande in capite hiabat, sanguinem rorans et perorans, quid sibi prodigi sanguinis sui fecissent filii; ut saperent et intelligerent, quæ novissima illis superventura forent, nisi pœniterent. Quot ictus fustibus in corpore accepit, tot plagæ rubicundæ, tanquam pretiosi membris in albis splendebant carbunculi. Rubræ in facie ac alibi feminarum calceis virorumque expressæ soleæ, solidatam in malo schismate monebant malitiam, ut converteretur, ne interiret. Nec frustra hæc videre schismatici. Memoratus Joannes Chodyka, ad extracti tempus corporis, momento illo dolore cordis intus a Deo tactus, cum spectaculum id vidisset, ubertim lacrymans, usque in civitatem advenit. Et quod Vitebsci, artus viri Dei speculatus, intra se decrevit, Polociæ, una post hebdomade præstitit. Ejurato enim schismate, conscientiam pœnitentiæ sacramento eluit, et sacram synaxim in cathedra Josaphati suscepit. Nec ulli salutem suam ipse testis horum in processu, nisi insonti archipræsulis sanguini adscriptam voluit : jugulo ab inde suo unionem sanctam, ut aiebat, defensurus. Impii quoque sicarii, cum execrationibus sui facinoris copiosos

Convertitur viso eo quidam schismaticus.

Parricidæ lamentantur.

effudere planctus. Et jam tunc præsaga mente mala sua concipiebant, et dolebant parenti et pastori tam fædam necem, sibi et urbi tam turpem infamiam tulisse. Ad expositum corpus in ecclesia allatus Dorotheus archidiaconus, quocumque valuit modo, ut æger adhuc de vulneribus, præsulem sacro archiepiscopali ornavit apparatu. Novem diebus in loco illo ornatus jacuit, nihil de rosis liliisque suis ac formæ dimittens honore.

Corpus ornatur.

At Polocia dolorosum audiens pastoris exitum, ex nunc tum e clero nonnullos, tum e nobilitate, tum e magistratu civili, Vitebscum pro adducendo Polociam direxit corpore. Qui duabus ab interitu præsulis septimanis, eo appellentes, vultu cæsi angelico satiari nequivere, corde suo lætitiam de laurea martyris percepta, vividum in morem contestantis. Urnam deinde præparatam ipsi nuntii pretioso panno decoravere, et sacras in illa exuvias deposuere. Vulnera vero martyris iterum iterumque osculati, cum venerandum sanguinis stillantis balsamum feliciter detersissent, lacrymis illud suis, ecclesiam doloroso planctu, de erepto pastore, permiscuere. Persolutis omnibus quæ isthic debebantur, tertia die templo prolatum ad scapham corpus in flumine consistentem. Ecce Vitebscensis multitudo, ipsi parricidæ alius alium præcurrere, et præripere alter alteri urnam, Polocenses abigendo, suos humeros illi substernendo. Felix quivis, opinione, si vel eam digito tangeret. Funeralem cantum, pœnitentium gemi-

Polocia pro adducendo corpore mittit.

Eductio corporis.

Vitebscensium ardens pœnitentia.

tus et planctus obruebant : pectus tundere, levare manus, detestari sævitiam. Nec quidquam in ampla civitate auditum, nisi luctus, lamenta, ejulatus. Occisum patrem, demersum pastorem : peccatum suum orbi fore notum. Averteret cœlum pœnas : dimitteret Josaphat tantam crudelitatem. Hæretici insuper et judæi, insonti præsuli copiosis parentavere lacrymis, atque parricidas execrati, vindictam de cœlo flagitabant. Minister calvinianæ sectæ, cum suis ad flumen deducens, corpus sacrum flebiliter lamentabatur, dicebatque : infelices innocentem occiderunt virum ! Sic plangentes alii deduxerunt, alii imposuerunt Polociam obversæ scaphæ corpus, pastoris, archiepiscopi, martyris amplitudine venerandum. Dum ferrentur exuviæ ad navim præsuleæ, supra tumbam calix erectus, licet fortiter hinc inde filis adstrictus, ex opposito calvinianæ synagogæ, inopino labro tumbam versus constitit. Quod multis admirationi fuit : quasi eo ipso eversum illic incruentum probavisset sacrificium. Jamque ascensa scapha Polociam tendebatur. Et flumen acri frigore compressum, largam tergo revehebat crustam. Proin miraculo datum, non prius flumen concrevisse, quam Pelociæ in ripa navis cum lipsanis martyris constitisset. Et vim illatam sibi natura frigoris pensare videbatur, cum semper ante citius illam, quam hoc tempore in stringendis aquis exercuisset. In itinere effluebant aulis suis viri senatorii, desiderantes faciem martyris videre : et nemo siccis intuitus oculis,

Dolor variorum.

Prodigium de inverso calice.

Flumen miraculose non concrescit.

pulchriorem cæsum quam vivum præsulem, cultu prosequebantur, in parricidas maledictiones jactabant.

Polocia corpus excipit dolorose.

Tum vero effusa ad novum spectaculum Polocia, quem vivum prosperis votis eduxerat, occisum infelicibus lamentis excepit. Tantusque populosæ concursus fuerat urbis, ut locus ad ripas capere nequiret. Latini ruthenique catholici, schismatici, hæretici, judæi, feminæ puerique certatim ad corpus, nulla notatum mutatione, concurrere: adspicere vulnera fidem contestata: venerari artus hostiæ Deo sacratæ. Clamor, fletus, maledictiones, et execratio in sceleratos cœlum penetrabant. Plurimi ejuravere schisma, unionem æviternum amplexi. Universi martyri supplicare, quarum vivus ovium sollicitus pastor curam habuisset, earum Deo præsens ardentius meminisset. Illatus præsul cathedrali sanctæ Sophiæ templo, omnium visui ad aliquot menses propositus, speciei decore immutato, stupere et conteri fidei adversarios, lætari et confirmari catholicos fecit.

Sigismundus III, Poloniæ rex, commissarios designat.

Mox ut aulam gloriosæ memoriæ Sigismundi III, Regis Poloniæ, tam nefarium penetravit facinus, ex nunc Leonem Sapieham Vilnensem, Samuelem Sanguszko, Vitebscencem palatinos, Christophorum Sokolinski, castellanum Mstislaviensem, Alexandrum Corvinum Gosievscium, referendarium et notarium M. Ducatus Lithuaniæ, Alexandrum Sapieha, capitaneum Orszanensem, aliosque Vitebscum descendere, scelus cognoscere,

pro meritis, sine recursu ad curiam, plectere majestas regia mandat. Igitur anno parientis Virginis

Commissio Vitebsci. Accusantur cives.

1625, januarii 17 die et sequentibus, cum præfati judices crimen tantum ex auctoritate regia sibi commissum cognoscerent, a regio instigatore cives Vitebscenses arguebantur, quod Josaphat pastori suo triennio obsequuti, turbante Meletio Smotriscio, schismatico, obsequium ejus excusserint, et tam in sanctam unionem, quam in vitam Josaphat, multa proterve machinati sint ac demum sacrilegis eum truculentum in modum trucidarint manibus. Quæ omnia ubertim ab instigatore probata, a nobis strictim supra in decursu operis exposita. Ad quæ palam consistentes cives : suscep-

Excusant se.

tum a se pastorem Josaphat, legibus patriæ et Ecclesiæ certum. Vidisse ejus pietatem, veneratos zelum, obsecutos voci; cum nullas Orientalis Ecclesiæ perfregerit leges, et omnes observarit cæremonias; dilexerit antiquitatem, statutis patrum conciliorumque commendatam. Et ut ejus erga se amorem agnovissent, ita vicissim ab omnibus ei monstratum, ac venerationem pastore dignam præstitam. Idque triennio duravisse; donec tandem peccatis parentum suisque, Dei vero permissu, per Meletium Smotriscium, ac submissos ab eo monachos et litteras, quibus se archiepiscopum Polocensem verum, Josaphat apostatam vocitaret, omnia subversa fuissent. Exceptos monachos a certis nobilibus, stimulatam plebem, cives, magistratum : Josaphat abigerent, Meletium suscipe-

rent. Litteras Smotriscii dolosæ suavitatis, nobilitate coram et civibus, in curia lectas: quas sibi monstratas judices acciperent, precabantur. Inde effrænes, contemptim, tumultuose, Josaphato renuntiare, Meletium amplecti, scriptum eidem obligatorium nobiles, cives, vulgus, subscribere; ecclesias et presbyteros in ejusdem nomine adimere. Nec de his judicari voluisse, tergum contumaciæ tenentibus aliis. Posthac, ligamenta, machinationes, tumultus subsecutos. Restituerint sane ecclesias, urgente Josaphato, ac monente regia majestate, sed thesauros illarum minime. Et synagogis extra civitatem excitatis, contumaces in iis exercuisse devotiones. Fateri tandem, extrema die Josaphati, sonuisse campanas, irruisse in aulam populum, consauciatum famulitium, perruptas sepes, effractos postes, cæsum insolentem pastorem, demersumque, ut scelus scelere cumularent. Et quidem nocentes alios ergastulo teneri, alios profugisse. Tum singuli excusare se ipsos, flagitare veniam, implorare miserationem. Majorum suorum, suamque in patriam fidem, in reges obsequium, in hostes fortitudinem, judices recolerent: nec insontes cum sontibus plecterent.

Fatentur crimen.

Misericordiam implorant.

Post multa innocentiæ inducta a variis argumenta, promeritæ a judicibus latæ pœnæ. Civitati liberarum urbium adempta jura et judicia: sublata a teloniis libertas: accepta ducum et regum privilegia: juri et potestati palatinorum subjectum oppidum: solita ante libertates præstaret arci

Sententia judicum.

servitia. Curia subverteretur : nolam ad ciendos cives non haberent. Ecclesiarum omnium campanæ armamentario inferrentur; e quibus cum scitu futuri archiepiscopi campana funderetur major, facinusque ei parricidii inscriberetur : ut ad ecclesiam cathedralem, propter quam cæsus præsul, appensa futuræ posteritati pœnarum documentum foret inflictarum. Aliis ecclesiis campanarum prohibitus usus : nec introduceretur, nisi permissu archiepiscopi metropolitani. Ecclesiam præsulis sanguine purpuratam, cives impensis suis decoram exstruerent. Discreti insuper rei ab innocentibus; quibus eliberatis, rei novemdecim, inter quos duo consules Vitebscenses, unus Polocensis, sub gladio cecidere. Quamquam communis vox viginti quatuor capite diminutos asserat : fortasse quinque profugi, post commissionem arrepti, percussorum in commissione auxerunt numerum. Profugi e carceribus, et quos reos scripto cives porrexissent, cum liberis, uxoribus et bonis proscripti, septuaginta quatuor. Sontium quisque sub alia, non regia potestate degentium, ad suum evocaretur forum, ac condigne plecteretur. Aliis miseratio concessa, ne tota periret civitas.

Pœna sacrilegi. Hic meminisse visum Petri Vasilevicii, consulis Polocensis. Venerat is Vitebscum, ut consilium ac juvamen præberet accusatis, et judicia permisceret. Citatus proinde confessusque malum, ut Vitebscenses, Polocenses, Vilnenses, aliique cum nobilibus cives conjurati, datis in album commune

nominibus, nummos tumultibus fovendis contulerint. Idque album rationesque contributionum, domi suæ Polociæ observaret : et filius ejus, Basilius, neci Josaphati affuisset. Quocirca colli damnatus, neque confitens; dum carnifex extendisset ensem, primum ei objecta uni ictui abcissa dextra, alteri sinistra, quibus se ipsum tuebatur, tum aures divisæ, tandem demessum caput. Omnibus justa Dei judicia inclamantibus, rescissas manus quibus baptizasset, vel sacra tetigisset : dissectas aures, quibus confessiones excepisset : abscissum caput, quo tumultus concivisset. Sanguine martyris interpellante, aliorum misertus Dominus, cum scelerum intime pœnitentes, alii patribus e Societate Jesu, alii e nostro Ordine, conscientiam denudassent. Misericordia Dei super alios.

Arguebant eam judicii severitatem, et vellicabant gloriosum in orbe Polono Josaphati nomen adversarii : tot pro uno cecidisse capita! et civitati tanta illata gravamina! Verum cui non obganniat effrænata malitia, impune habere volens quidquid ausa fuerit? Sed reputet tanto facinore, in regno potissimum catholico, læsam humanam pariter atque divinam majestatem; medios etiam inter ac abstrusissimos barbaros, digna illi impendenda fuisse præmia. Quocirca talia non Josaphat sanctæ fidei immortuus, sed justitia malos male perdens, exegit. Schismaticorum sugillationes refutantur.

Anno 1625, januar. 28, ad funebria Josaphat deventum. Et quidem integra funus præcedente heb- Funus Josaphati post annum.

domade, crepusculo matutino et vespertino per horam, universis in ecclesiis resonabant campanæ: crudelem gementes, an triumphantes mortem. Triduo ante cathedra et arce, solemniter eductum corpus, locatumque in ecclesia Salvatoris in foro: ut in cathedra Sapientiæ Dei dicata funebri postmodum locaretur honore. Pridie funeris sub vesperum, Josephus Rutscius, archiepiscopus metropolitanus, Gregorius Michalovicius. Pinscensis episcopus, Polociam advenere. Obvii illis Antonius Sielava, archiepiscopus, deinde vicepalatinus Polocensis, egregia nobilium civiumque cincti effluxere corona. Cæteri tympanis, armis, vexillisque in cœtus distributi, ecclesiæ insuper omnes solemni campanarum resonatione, hospites honoravere. Finis honoris, introitus ecclesiæ ad exuvias martyris fuit. Solemnibus hic vespertinæ devotionis peractis precibus, in arcem ac aulam archipræsulis Polocensis deducti. Ipsa funebrium die, per universa templa sacræ sonitum edidere nolæ. Quatuor ante meridiem horis incœpti cum sacro corpore progressus signum explosa dedere bellica tormenta. In quo antecessere a lateribus cum funalibus ardentibus longo ordine cives : medium inter illos studiosa tenebat Societatis Jesu juventus, cantu dolorem audientium provocans. Pone sequebatur latinus clerus, ornamentorum colore purpuram martyris æmulatus. Insistebat ei clerus unitus, grata vestium sacrarum circumdatus varietate, ad centum duodecim ascendens nume-

rum. Cæteri sacerdotes solo vestiti habitu quam plurimi præcedebant. Horum premebant vestigia ex eodem clero alii nobilioribus induti vestimentis : et cilicium linteaque, serico et auro intertexta, quia sanguini martyris immersa, longe splendidiora ferebant : alii funes crassos, lapidesque non unius viri pondus, distinctis ordinibus gestabant. Corpus sexijugo vehebatur curru, super attalicam rubeam materiem longe lateque diffusam, cum loculo purpureo panno obducto, depositum. Quod faciferi in rubeis copiosi vestibus, rubris etiam accensis facibus, circumdabant. A lateribus milites arcenses centum, itidem rubris induti vestimentis, cum armis incedebant. Currum sequebantur cum nobilitate, et ingenti multitudine, nonnullisque e clero in pretiosioribus casulis, duo archiepiscopi, et episcopus, pretio coronarum, splendore ornamentorum refulgentes. Ingressos arcem et ecclesiam bellica tormenta, campanæ, cantusque sonantes salutavere. Ecclesiæ parietes, cum columnis, acu pictis aulæis ad sanguinem martyris accommodati. Mausoleum amplitudine eximium, colore non dispar, ignium multitudine prædives. In cujus deposita medio cum exuviis sacris tumba, omnium ornatior resplenduit. Tum græcæ latinæque laudes in martyrem, soluta oratione prolatæ. Josephus archiepiscopus cum aliis sacra operatus, suaviter resonante musicæ vocalis symphonia. Spectatorum et auditorum copia templo major; sacerdotum multitudo ruthe-

norum omnium superavit exspectationem. Solutis divinis, Leo Creusa, nominatus archiepiscopus Smolenscensis unitus, cum vitam Josaphati gloriose pro rostris extulisset, dolorosis verborum aculeis catholicos ad dolorem et lacrymas, schismaticos ad fidem sanctam et pœnitentiam commovit. Sacram clausere pompam, hinc juventus studiosa, metris polonicis in laudes Josaphati decurrens : inde Josephus Rutscius, ad palatinum Mstislaviensem aliosque, divum martyrem sua deprædicans oratione. Corpus demum heroicum in loco, quem, ante obitum, Josaphat prophetico præparari injunxerat spiritu, honorifice, prout par erat, locatum.

CAPUT V.

DE CULTU ET MIRACULIS B. JOSAPHAT.

Cultus varia.

Jam inde ab advecto Polociam Vitebsco post necem martyris corpore, universorum hominum affectus in ejus cultum incubuere. Nullus status, aut sexus, aut ætas rationis compos, quæ non Josaphatum, ut innocentem, ut Deo carum, ut mar-

tyrem recoleret. Ad sepulcrum ejus vota concipere, tabellis argento et auro factis, calicibus sacris, cereisque innumeris illud decorare : litanias, sacra, precesque varias, ut illic fierent, procurare. Imagines ejus certatim domi quisque suæ locabat : particulas vestium, cilicii, linteorum, pannorum tumbæ, alii de collo pensiles, alii vestibus insutas, alii in thecis sacrarum reliquiarum locatas, venerabantur. Et quæcumque vel corpus, vel sanguinem tetigissent, ut terra in qua cæsus, schidiæ parietum prospersorum, similiaque, magno cultu prosequebantur. Illum in precibus patronum, in adversis asylum, in morbis medelam, quicumque invocaverunt, probaverunt. Nec dubitarunt alii filios in baptismatis et confirmationis sacramentis Josaphatos nominare, alii ad sepulcrum ejus nudipedes a longe venire; alii illustriores curribus post centum viginti et amplius leucas accedere, ut suæ devotionis solatia perciperent. Editæ in lucem virorum magnorum conciones orationesque polonico latinoque idiomate ; necnon libellus *Josaphatidos*, Antonio Sanctacrucio, Apostolicæ Sedis ad Sigismundum III, felicis recordationis Poloniæ et Sueciæ regem, nuntio, archiepiscopo Seleuciæ, post S. Romanæ Ecclesiæ Cardinali dicatus. Denique catholica Russia, Lithuania, Polonia colere eum, ut pro S. R. Ecclesiæ obedientia cæsum, ut verum martyrem, in deliciis habuit, honori sibi ac felicitati semper duxit. Quorum omnium plenus testatur processus apostolicus.

DE MIRACULIS.

Atque primum quod invalescentem promoveret cultum, fuit miraculum.

Josaphat post mortem videtur.

1. Statim ac de morte servi Dei Polociæ inclaruit, campanis in ecclesiis universis, oriente et cadente sole, per aliquot supra decem dies pulsabatur, visusque Josaphat a Joanne Dziahilevicz, notario Polocensi, jurato in processu teste, super ecclesia cathedrali, in sua consistere persona: forsan ut vigilem se custodem ovilis Christi, et post fata monstraret.

Cæcus prospicit.

2. Petrus Dankovski, proconsul Polocensis, pergravi oculorum pressus dolore cæcitatem contraxit, et multo tempore nihil penitus videre potuit. Quando corpus martyris Polociam illatum, se ipsum ad ecclesiam duci mandavit. In qua ad lapides et cilicium martyris constitutus, flexis patrocinium viri Dei oravit genibus : porrectoque sibi a quodam e clero cilicio, oculos abstersit, applicuitque lapidibus, ridentibus schismaticis, lapides eum delirum adorare. Nec curavit, sed iterum iterumque abstersit, et multitudinem hominum repente conspexit. Post, confusis Ecclesiæ hos-

tibus, nullo ductore, domum regressus. In crastinum corpus martyris veneratus, intensius oravit, et perfectum recepit visum.

3. Hoc exemplo femina quædam Polocensis, similem in oculis cæcitatem patiens, eodem cilicio suos tersit oculos, continuoque prospexit. Cæca,

4. Marina, civis itidem Polocensis, quatuordecim annorum serie, pedibus contracta, in xenodochio patrum Societatis Jesu jacuit, et quandoque ad ecclesiam reptavit. Ad sepulcrum martyris allata, paululumque effusis precata lacrymis, erectis constitit pedibus : mox sine ullo ductore et fulcimento, de monte, in quo cathedra, descendit alto. Duabus post septimanis marito juncta, multis sana supervixit annis. contracta 14 annis sanatur.

5. Non sine admiratione fuit universis, sanguinem martyris a nece per annum et menses aliquot, de vulnere capitis, sub frigora etiam multum intensa, ubertim manavisse : forsitan ut Deum Dominum placaret, converterentur parricidæ, et veniam sceleris obtinerent. Sanguis e capite Josaphati fluens.

6. Agatha Rusovska, monialis Polocensis monasterii divi Basilii, pedum usu destituta, necquidquam incedens, intercessione martyris sana facta est. Pedibus,

7. 8. Nobilis Theodora Volkovna, Lucæ Rozanka conjux, cum filio Joanne Rozanka, capitis dolore quatuordecim septimanis laborantes, a quo periculum visus amittendi incurrerant, refugientes ad martyris sepulcrum, sanitate donati, illa 1624 anno, iste 1626. capite 14 septimanis laborantes sanantur.

In partu agonizans, 9. Catharina Kopijovna, Joannis Kossarovski, advocati Iachimanensis Polociæ conjux, anno a partu virgineo 1625, in januario, partu gravida, nulla spe vitæ, patrocinium viri Dei exposcit, et actutum enixa, sanissima remansit.

triennali paralysi laborans convalescit. 10. Gennadius Chmielnicki, superior monasterii basiliani Polocensis, brevi post necem martyris morbo paralyseos dissolutus, triennio egredi cella nequivit. Votum martyris visendi concepit, et luce sequenti anno 1626 septembris 18, integro donatus robore ad sepulcrum celebravit, sanusque plures in annos permansit.

Ignis sedatur. 11. Anno 1626, novembris 11, collegii Societatis Jesu Polocensis lignei aliqua pars, noctis medio, subito exarsit igne; a quo non collegio solum, sed urbi toti impendebat exitium : quia vix decem passibus ab igne reliqua tecta dirimebantur. Inclamante Josaphatum populo, rectore Stanislao Kosinscio tabellam vovente argenteam, quasi manu aliqua suffocatum incendium subsedit.

A demersione, 12. Idem Kosinscius in aquis Dunæ fluvii, cum curru et equis jam mergendus, ejusdem patrocinium invocavit, et miraculose discrimen evasit.

hectica, 13. Idem alias hectica gravissima anni medio pressus, eodem patrono liberatus est.

oculorum dolore, 14. Derpatensem agens rectorem, extremo oculorum obrutus dolore, momento, quo martyrem invocaverat, et cilicii ejus portiunculam oculis posuerat, exacte sanatus.

et variis morbis, 15. Idem juratus in processu testis refert, alios

a fluxu sanguinis, alios a febribus periculosis, alios lethaliter saucios, alios capitis vertigine, variis demum doloribus et morbis distentos, ac agonizantes, recursu precibusque ad Josaphatum factis, sanitatem recepisse.

16. Ex ordine illustri Prædicatorum Provincialis ut paralysi
Poloniæ, vir eximius Celestinus, manus et brachia paralysi dissoluta habens, ita, ut nullum sibi præstare obsequium posset, eumdem Kosinscium exoravit, ut pro se coram lipsanis martyris sacrum Deo faceret, et fecit. Qui mox pristinum valetudinis recepit robur.

17. Sophia Michaelis, Polocensis, cum 14 hebdomades lecto affixa, pergravem pateretur morbum, et aliena manu de latere in latus verteretur, ex consilio aliorum, 11 novembris anni ejusdem, in pervigilio memoriæ Josaphati, eidem sese obtulit, eademque hora optime revaluit. alii quo pergravibus liberantur.

18. Marina Basilii, de oppido Glembokie, ex morbo peracerbo, pedibus manibusque contracta annis tribus et medio, anno salutari 1626 die 26 novembris, ad martyris sepulcrum arrepens, pro valetudine sua eumdem imploravit, et sub ipsum sacrum, omnibus in membris sanata constitit. Contracta tribus annis et medio,

19. Sub comitia regni Poloniæ, anno 1626, Varsaviæ Daniel Szczyt, vicejudex Polocencis, extrema prostratus paralyseos ægritudine, in dies magis conflictabatur. Quæ conjugi ejus Annæ Podbereska, centum viginti leucis distanti Varsavia civitate, postquam innotuisset, nudipes sæpius, per aliquot paralyticus,

leucas, mutatis vestimentis, Polociam ad sepulcrum martyris accessit, marito valetudinem imploravit: qui brevi convalescens post reditum, vota uxoris martyri exsolvit.

a dæmone infestata,

20. Civitatis ejusdem accola, Regina Michaelis vidua, maligno spiritu, integro anno divexata, neque orare, neque sacra auscultare potuit. Quandoque libellos pios e manu ipsi eripiebat malignus dæmon : quandoque, ante sacræ elevationem hostiæ, violenter eamdem de templo pellebat. Patrum Societatis Jesu monitu, quamprimum sepulcrum martyris visit, ex integro liberata.

æger 20 septimanis,

21. Georgius Matthiæ Polocensis viginti septimanis, præ morbo gravi, de lecto surgere nequivit. A patribus Societatis Jesu particula cilicii martyris Josaphat de collo ipsi suspensa, ex nunc revalescere cœpit, et tertia die, integre incolumis martyris sepulcro sese præsentavit, anno eodem 1626.

hemoroissa,

22. Abramii Hrinievicii Polocensis, eodem salutis anno, in octobri, filia Susanna, fluxum sanguinis immedicabilem patiens, a parente ad sepulcrum servi Dei oblata, ex nunc levamen sensit, et brevi fluxus ille siccatus.

agonizans,

23. Michaelis Tyszkievicii, vicejudicis terrestris Polocensis, consors, Christina Sviderska, periculoso afflicta morbo, propior morti, quam vitæ fuit : a medicis desperata, martyris patrocinio per conjugem devota revaluit : et quo se obstrinxerat, tabellæ argenteæ, sana exsolvit votum.

24. Idem de femina Sophia, uxore Adami, laterarii, sibi inservientibus, in processu contestatus est, eam ægritudine nimia oppressam, viginti quatuor horis mutam ac in ultima vitæ constitutam periodo, in terram depositam fuisse. Quam postquam ob dolorem trium superstitum parvulorum, cum sua conjuge, flexis genibus, ad exuvias corporis Josaphati, sistendam obtulissent, portiunculam etiam vestis sanguine intinctæ de collo ejus appendere : dicto celerius illa oculos aperuit, stupentibusque omnibus marito indixit, collo suo appensam particulam ne perderet, et cum his viva sanaque constitit. Alia moribunda,

25. Idem Tyszkievicius incurabili podagræ distentus invaletudine, duobus innixus baculis ægre sepulcrum viri Dei, et adjuvantibus aliis revisit, eumque intentius pro morbo suo precatus, id medicamenti retulit, ut baculis abjectis, integerrimus domum suam sese receperit. podagricus,

26. Anno 1627, januarii 22, duodennis Pauli Kozminicz Bordzilovski filius, Theophilus, maligna incensus febri, loquelam mutavit. Et jam extinguendus erat. A religioso D. Basilii, Paulo Ovloczymscio, parens monitus, martyri Josaphat eum offerret et bene speraret. Illo offerente, particulam cilicii puero super imposuit. Et mox meliuscule se habere cœpit, in crastinum vero, martii 2, perfecte sanatus est. in febri agonizans sani fiunt.

27. Post cæsum Josaphat, nihil certius quam Maximum Meletium Smotriscium, audita parrici- Conversio Meletii Smotriscii.

darum pœna in Græciam ac Palæstinam profugisse et animæ suæ affectibus dilaniatæ Constantinopoli et Hierosolymis, apud patriarchales sedes, medelam quæsiisse, nec invenisse. Ideo peregre in patriam reversum, conscientiæ stimulis exagitatum, unioni, Ecclesiæ, et patrum patri, Romano Pontifici, anno 1627 die 23 februarii, vinctas dedisse manus. Quod dexteram excelsi operatam, sanguine Josaphati interpellante, processus testes contestati, miraculo adscripsere. Ut enim Stephani sanguine ad Deum perorante, ex Saulo videre meruit Ecclesia Paulum, sic ex Meletio, et re et nomine maximo unionis persecutore, maximum propugnatorem. Is in vita quidem multos, sed in morte plures e schismate convertit. Anno enim 1633 circa finem decembris, non sine suspicione propinati ab adversariis aconiti, pedetentim æstuantibus confectus est visceribus. In ipso exitu religiosos monasterii Dermanensis, cujus erat archimandrita (seu abbas), monuit, morienti sibi Breve sanctissimæ memoriæ Urbani VIII pro archiepiscopatu Hierapolitano, quo etiam a schismate solvebatur, in manus traderent. Obliti illi, quinque ab obitu, cum obriguisset, horis, dextræ manui, pollicem inter et indicem, inseruerunt. Et repente ita Breve, in membrana scriptum, inflexis complicatisque digitis strinxit, ut nemini quantumvis violenter, cum manu plurimi corpus tumba protraherent, dimiserit. Tentando autem veritatem nonnulli, Constantinopolitani patriarchæ lit-

Miracula post mortem ejus cum Brevi Urbani VIII, et alia.

teras, manui alteri suscipiendas, immittere conati: sed manum ille retraxit, digitos in pugnum complicuit, nec accepit. Per quatuor hebdomadas, cum hoc miraculo corpus venerandum perstitit. Adveniens tandem de longe Josephus Rutscius, Russiæ Metropolitanus, exuvias corporis tanti viri invisit, intime salutavit, Deum mirabilium patratorem invocavit, et Breve illud repetiturus, accessit. Cui mox ille, cum nulli antea, dimisit. Perlectum in concursu catholicorum passim et schismaticorum, exsangui cadaveri restituit. Quod iterum ita compressum manu recepit, ut millibus hominum, ad miraculum concurrentibus, schismaticis catholicisque, nulli extradiderit. Gaudio et lacrymis permixtus Josephus, id miraculi, hinc divi Alexii chartæ par edixit, quod nulli eam nisi Pontifici Romano reddidisset, et Smotriscius sibi in Russia ejus vicario; inde vero longe superius, quod iterum susceptum, et compressum nulli tradidisset: altera autem manu Byzantinum diploma semel repudiatum, nunquam admisisset. Sed de hujus viri gestis alia futura narratio. Hæc autem gloriosum martyris Josaphati, de converso parricida suo, occinuit triumphum.

28. Quo tempore ad cor rediit mortis Josaphati primarius incentor, eodem fere milleni cives Vitebscenses, ad commissarios apostolicos Vitebsci confluxere. Ubi pastoris necem deflebant, confessarios exorabant, veniamque et absolutionem ab iisdem petebant. Gaudium de tot conversis Conversio Vitebscensium.

habuere commissarii, demirantesque spiritum Dei, ubi vellet spirare, quæ petierant, præstitere.

Oculorum dolore extremo

29. Nobilis Nicolaus Doktorovicz, sub idem tempus morbo gravi, oculorumque dolore extremo ac diuturno discerptus;

30. Scabini vero Polocensis Georgii uxor, dolore itidem oculorum excruciata gravissimo, per votum ad sepulcrum viri Dei conceptum, sanati.

plures sanantur.

31. Cæterum nobilis Gorska, eodem oculorum vexata diu dolore, et de visu periclitata, appensa de collo linteoli sanguine Josaphat intincti particula, sanitatem recepit.

tu juvantur,

32. At nobilis Petri Mniszevscii conjux, quandoque mortuum, quandoque moribundum et mox emorientem enixa partum, voto ad divum facto, sanum multis aspexit annis filiolum.

in febribus,

33. 34. Febri ardente nobilis Alexander Ielenski et Gregorius Korsak, vexillifer Polocensis, eodem correpti tempore, atque ad extrema deducti: cum ille per se patrocinium Josaphati implorasset, hunc conjux Alexandra Voloviczovna, ad sepulcrum devovisset, integre convaluere.

in morbis diuturnis,

35. Idem Alexander Ielenski, eodem anno, incognito et longo morbo totius corporis membra vulneribus et tumore affecta habens, dum vota martyri fundit, convalescit.

in paralysi.

36. Similiter memorata vexilliferi Polocensis conjux, ægerrimum filiolum, eodem oblationis modo, sanum recuperat.

37. 38. Nobilis feminæ Czapinska filiolus et nobilis Kozicz, Polocensis districtus, paralysi periculosa occupati, cum ambo sepulcro beati Josaphat præsentati fuissent, extemplo sanati ambo, viribus propriis ecclesia egressi.

Colico morbo,

39. Catharina Kopijovna, de qua supra ad 1625 annum, colico conflictata morbo, anno natalis Domini 1627 in februario, et sacramentis munita, jamjam ad lethum et scrobem properabat. Sed ejusdem martyris, quam desideravit momento experta medelam, pristinæque reddita valetudini.

40. Ejusdem ancilla Margareta continuis et diuturnis divexata capitis doloribus, vim vitæ suæ inferre meditabatur, sed a suis dominis reprehensa, et persuasa, cereum ad martyris exuvias obtulit sertum, et sine ulla mora dolore soluta est.

dolore capitis desperato sanantur.

41. Eodem anno 14 martii, Feliciana Volovicia, Kossakovscii præsidis Lomzensis conjux, a beato Josaphato quondam ex hæresi conversa: podagra impendio gravi afflicta, nec surgere de lecto valuit. Auctore episcopo Vilnensi, Eustachio Volovicio, sui germano, particulam telæ sanguine Josaphat imbutæ, loco doloribus dilacerato, ipsa in preces ardentes ad martyrem effusa, applicavit, somnoque pressa quievit. Interim videre sibi visa pontificem apparatu albo græco indutum, ex cujus capite dissecto, sanguis in apparatum deflueret, et quæsitum, quis esset, respondisse, eum esse Josaphat ab ipsa invocatum. Orat illa, qui meritis

Josaphat apparitio et podagræ sanatio.

ipsam sanaret suis. Cui ille, merita quidem sua in oculis divinis pauca, nisi forte sanguis, pro Christo fideque ejus profusus, aliquid valiturus esset. Manu igitur in vulnere madefacta, discruciatum perunxit locum, dicens: Sanguis iste pro Christo, et fide veteri orthodoxa græca, et Ecclesia sancta libatus, juxta fidem tuam, sanet te. Dixit et evanuit: illa somno et dolore soluta, sana permansit.

Agonizans convalescit.

42. Parem probavit gratiam Gedeon Tryzna, dapifer Magni Ducatus Lithuaniæ, in sua conjuge, extremum quodam in morbo trahente spiritum: quippe simul atque sibi particula vestis sanguine, Josaphat imbuta, est imposita, sanitati eam integræ redditam vidit.

Mergendus transfertur per flumen.

43. Transibat flumen Dunam nobilis Joannes Charminski, vicepraetor Polocensis, anno 1627, vere novo, cum rupta glacie demergi cœpisset; quam primum vero invocavit martyrem, inopinato, nulloque adjutore, in littore alio constitit.

Zamosciense incendium sopitur.

44. Tendebat Zamoscium Josephus Rutscius, Russiæ metropolitanus, 1627 salutis humanæ anno, die vero lunæ, infra Corporis Domini festivitatem: quod vehementi, a leuca una, consumi videns incendio, relictis extra curribus, pedes intravit, et ecclesiam petiit. Ubi dum horæ dimidium cum suis orat, martyris Josaphat reliquiarum memoratus, et quomodo Polocense ab eo collegium sit liberatum, easdem in altari accensis explicuit cereis, civitatemque martyri commendavit. Ipsum

vero magnum virum Zamoyscium, regni cancellarium, monuit, spem certam se habere ignis extinguendi, dummodo ipse quoque martyri supplicaret. Et factum : nec ulterius abhinc edax processit flamma. Cœlum autem cum sudum esset, derepente nubes exortæ pluviæ, totum involvere, tamque copiosum demisere imbrem, ut rivis aquarum defluentibus, ignis subsiderit.

45. Alexander dux ab Ostrog Zaslavski, palatinus Kioviensis, gravi podagræ cruciatus dolore, a viro Dei Josaphato, perfectam adeptus medelam. Incedere tamen haud potuit, quod nervus in pede contractus prohiberet. Duobus quocirca in incessu nitebatur baculis. Sed ad ejus recurrens patrocinium, novo cumulatur beneficio, nervo directo. Sanus igitur purpureas assumpsit vestes, et calceos similes, præter morem adstrictiores. Quocumque vero prodiisset, pedes incessit, ut beneficium testaretur. Quæsitus a gravioribus viris, unde hæc esset valetudinis, coloris, calceorumque mutatio, dictitabat : martyrem ruthenum Josaphat, sanitatem sibi donavisse, et ideo in sanguinis ejus, quem veneraretur, contestationem, purpuratum incedere. **Dux Zaslavski podagricus fit sanus.**

46. Puellus Athanasius, nepos Margaretæ civis Polocensis, intensa oculorum ægritudine annum laborans. excæcatusque, diebus octo nihil vidit. Tandem anno 1627, augusti 27, ad sepulcrum martyris ductus et sanguineo linteolo in oculis tersus, actutum doloribus liber, lumine recepto, lumen vidit. **Oculorum annuo dolore excæcatus sanatur.**

Morbo gravi,

47. Optatus Athanasovicius, civis Polocensis, ex morbo gravi per aliquot hebdomades, ne lecto se movit : in vigilia anniversarii mortis Josaphati anno 1627, dum se voto visendi obstringit ejus sepulcri, ita 'convalescit, ut in crastinum ad illud veniens, communicarit.

decenni infestatione dæmonis,

48. Joannes Andreæ, itidem Polocensis, annos decem a spectro nocturno per veneficia infestatus, in gravissimam incidit invaletudinem : sed oblata sui cerea ad sepulcrum Josaphat imagine, ut sanitatem recepit, sic spectri terrores abegit.

a fluxu sanguinis bienuali sanantur.

49. Helena similiter Nagorska , e Polocia civis, fluxum sanguinis duobus perpessa annis, dum ad viri Dei sepulcrum orat, sanatur.

Polocia a Suecis liberatur.

50. Eodem anno Livonia et Curlandia provinciis occupatis , absque metu late longeque populabundi excurrere Sueci. Jamque Polociæ imminentes , non obsidionem duntaxat ipsi, sed etiam excidium minitati. Igitur Polocenses vota ad servum Dei Josaphat concipere, sepulcrum visere, auxilium ejus implorare. Nec frustrati; martyre mediatore, Sueci nescio quid turbati, esto urbi ferme inhærerent, aversi propere in sua rediere.

Desperatus convalescit.

51. Helena Gosievska, principis Sanguscii de Kovel, palatini Vitebscensis conjux, maritum, lethaliter ægrum, a medicis derelictum, voto concepto, et promissa argentea tabella, brevi temporis inclinatione incolumem intuita.

Varia patrocinia experiuntur.

52. Alexander Corvinus Gosievski , palatinus Smolenscensis, vir præcellens, cum sua consorte

divi martyris corpus Polociæ invisit, vota ex argento obtulit, per variorum sacerdotum sacrificia commendari se eidem voluit, ac in omnibus morbis, periculis et necessitatibus semper præsentissimam expertus est opem.

53. Alexandra Radziminska, dapiferi Polocensis Clonovscii consors, Polocia quopiam discedens, apud Alexandrum Korsak, initio aprilis anno 1628, in itinere substitit. Ecce illi unus e sexiga præstantior equus, vel viæ lassitudine, vel cujuspiam ægritudinis causa, subitis correptis doloribus, violenter extinguitur. Ipsa ad locum extincti currere, et in cursu Dominum precari, si verus esset et dilectus illi martyr Josaphat, de quo in nupera commissione, mira relata fuissent : nunc certo a se cognoscendum, si sua intercessione, equum itineranti pernecessarium, restitueret. Hæc secum volvendo, ad locum devenit : trahique hinc inde equum jussit, et ipsa auriculam traxit. Sed nulla penitus visa in equo vita. Versa iterum ad martyrem, corde et ore alloquitur : ab inde eum pro dilecto Dei habituram et prædicaturam, si vivum precibus coram Deo suis efficeret equum. Tertio tandem intime martyrem exorat. Tunc stupenda sane ratione, et quasi creata noviter anima, generosus quadrupes in pedes sese erigit, artus excutit, pascitur, et iter lætior arripit, lætissima domina. Quam martyris gratiam notabili postmodum voto contestata est. **Equus extinctus suscitatur.**

54. 55. Puellus Theodorus in valetudine qua- **In morbo quodam, item caduco,**

dam, puella unius anni Margareta morbo caduco, Joannis Theodoricii consulis Polocensis, lethaliter, sed diversis temporibus ægri ad sepulcrum martyris allati, opinione celerius convaluere.

in vertigine, digiti putredine, auxilia probata.

56. 57. Virgines duæ ætate progressæ, Deo Domino ex voto promissa castitate, in templo Polocensi Societatis Jesu, servitio semper vacabant divino: altera Sophia Krzyzanovska, altera Elisabeth Samsonoviczovna nominatæ. Et alia quidem vertigine capitis affligebatur adeo vehementi, ut insaniret. Alii dexteræ index, ab integro putrescebat: nec spes sanandi supererat. Proinde ambæ visitato martyris corpore, submisse pro suo quæque malo precatæ, sanitatem obtinuere.

Item in partu,

58. Basilius Szapka Chotelski, notarius castri Vitebscensis, eodem de conjuge sua testatum voluit anno, eam in puerperio, extremo vitæ discrimini expositam, intercedente martyre Josaphato, absque dolore enixam.

59. Quam in alio quoque perquam difficili partu, ejusdem martyris expertam gratiam.

in extrema ægritudine.

60. Uti etiam filiolum suum extreme ægrotantem ad sepulcretum martyris oblatum, sanum eodem factum patrono.

61. Idem notarius de nobili Theodato Chlevinski, suo sororio schismatico, juratus in processu, ut alia memorata, retulit: se ipsi suasisse, ut schismate rejecto, in sua profligata valetudine ad martyrem recurreret, corpus inviseret. Et schismati

valedicentem confessum, ac a viro Dei, cui supplicaverat, sanatum. Sed cum votum visitandi corporis neglexisset, pœna subsequente, post annum extinctam.

62. Nobilis Joannis Lipscii conjux, ad sepulcrum itidem martyris, filiolum suum moribundum vovet, sanum recipit, eodem salutis anno. **Moribundus quidam,**

63. Georgius dux Czartoriscius, variis in se ingruentibus morbis, febri nimirum intensa, doloribus capitis, splenis, pectoris, præcordiorum, aliorumque membrorum acerbis. Stranguria insuper, et calculo, tredecim hebdomadis hoc anno, ante maium discruciatus, jamque de vita diffisus, more christiano, domui disposuit suæ. Extremo discrimini propior, angustiis pectoris pressus, in aliud latus converteretur, jussit. Mox imaginem beati Josaphat, ab ea parte, supra se pendentem advertit, ac memoratis tot ejus gratiis in homines effusis, corpus ejus sacrum visurum polliceri, et medelam exorare cœpit. Nec mora levamen sensit, primamque brevi recepit valetudinem. **et alius longo varioque morbo laborans sanatur.**

64. Lucas Felicianus Masalski, gubernator Perstrunensis, anno 1628, dolore oculorum et capitis peracuto, quatuor septimanis gravatus, magis magisque in dies affligebatur : ut de vita anxius esset. Consors ejus Catharina Constantia Skorulska, valetudine mariti dolorosa, die martii 11, beato supplicat martyri, ut ei, quemadmodum aliis, opitularetur. Nec mora dolore distractæ, quiesceret an vigilaret ignaræ, vir quidam, quem nec vidisset **Apparet Josaphat et sanat morbum.**

nec novisset, similis tamen martyris imaginibus et noscentium narrationi, in casula orientalium comparuit episcoporum, dicens : invocatum se ab illa, proinde surgeret, maritum accederet, diceretque : cessaret a quodam defectu (quem ipsa in hoc usque ignorasset tempus) et sanandum. Disparente viro Dei, licet terrefacta, maritum extemplo adit, gesta propalat : obsequitur ille, martyrem exorat, brevique sanatur.

Corpus post sex menses integrum

65. 66. 67. Cum hoc anno de vita martyris ac miraculis, prima commissione Polocensi inquireretur, sacrum ejus corpus omnibus exutum jam putrefactis vestimentis, novisque indutum, flexibile et incorruptum, licet admodum humido jaceret loco, inventum. In sella dein multis millibus hominum, ut videretur, expositum, cum sudare totum cœpisset, magnalia Dei prædicabat populus. Elevata post manu martyris, Georgius Tyszkievicz, Vilnensis protunc suffraganeus, episcopus Methonensis, populo benedixit. Qui in tantas voces precesque ad martyrem prorupit, ut explicari nequeat. Atque cum flere universa cœpisset multitudo, ipsius quoque oculi sudore, an lacrymis, manaverunt. Hos sudores, cum strophiis multis episcopus abstersisset, particulæ eorum minutatim divisæ, variis cesserunt, quotidiano morbis in omnibus remedio.

sudat

mirabiliter.

Effigies expressa.

68. Eodem tempore asseres tumbæ inferiores inventi totam effigiem martyris excepisse, longitudinem, latitudinem, membrorum compaginem,

vultum quoque ipsum, caput insuper cum mitra, vivaci modo expressa : esto sub corpore strata, et cervicalia duo sub capite fuissent.

69. Smolenscii Michaelis Orechovicz civis filia virgo, anno restauratæ salutis 1629, in julio, ob febrim malignam moribunda, ab Hieronymo religioso ordinis Minorum, cum parentibus suis monita, divi Josaphat opem imploraret. Deditque illi particulas panni, strophii et cilicii ejus, sanguine intinctas. Nil morati et ipsa et parentes, martyris adjutorium submisse deposcere, atque intra horam somnum de vespere concipiens, per noctem in diem continuavit. Lethargo illam premi parens permitescens excitavit. At illa conqueri : quid sibi fecisset? nunc apud se fuisse divum Josaphat, et consolatæ sanitatem pollicitum, pulsum venarum in capite, manibus, caputque ipsum et cervicem inunxisse : et quidem facie subrubeum, barba nigriore, pileo tectum, jamque vulnus capitis monstrare voluisse; flereque incœpit : quod eam suscitasset. Interim tamen integro sanitatis restituta vigori.

In febre.

Josaphat apparet, et sanat.

70. Eodem anno vexilliferi Slonimensis, Georgii Meleszko conjugis ancilla, nobilis Margareta Soltanovna, aliquot annis capitis et oculi sinistri doloribus, adeo laborabat, ut difficile ac perrare quiesceret, et vix quidpiam dispiceret. Postquam linteoli pars sanguine martyris tincta oculo ægro imposita fuisset, statim ab omni dolore libera exstitit.

Dolor oculorum aliquot annorum.

agonizans, 71. Nepos ejusdem ex filia, Joannes Grabinscius, semestris puellus, tussi infantiam superante vexatus, nil jam deglutire poterat, et tanquam moribundus denigratus: simul ac eadem linteoli beati Josaphat particula collo ejus appensa fuisset, dicto ocius convaluit.

72. Joannis Dziahilevicz notarii filius, nomine Stephanus, sesquiennis infans, calculum pergravem, *infantis calculus,* hoc 1630 anno, patiens, emoriebatur, et dolorosam emori matrem faciebat; a parente ad sepulcrum divi Josaphat cum lacrymis oblatus, nulla mora lapillum piso æqualem ejecit, sanusque effectus. Quem lapillum parens commissariis Polocensibus postmodum in processu præsentavit.

epilepsis, 73. Idem nepotem suum Joannem biennem, epilepticum, eadem viri Dei postulata medela, sanum plurimis vidit annis.

paralysis sanatur. 74. Femina consulis Polocensis Sitnianovna, gravi paralysis, sed graviori schismatis laborans ægritudine, suasu Gabrielis Sitnianovicz filii, uniti, ad sepulcrum martyris se ipsam devovit, et in utroque sanata.

75. 76. 77. Religiosa sancti Francisci, Francisca Jerzykoviczovna, conventus Grodnensis, sub pestiferam luem anni hujus, mense septembri, in territorio Slonimensi in Lithuania, apud Christophorum Tyszkievicium, dapiferum Slonimensem, *A veneficiis, epilepsia,* cum aliis virginibus Deo dicatis commorans: maleficiis infecta, ab aliquot annis, epilepsiamque in dicto loco sæpius perpessa, acicula sese

casu quopiam suffocavit. Magisque morbo conflictata dicto, loquelam et oculos, duobus clausit diebus : nec ulla jam vitæ spes superfuerat. Præsens virginum confessarius, Ludovicus Rossa, ex eodem ordine, ad beatum martyrem recurrit : et accepta particula strophii, sanguine ejus imbuti, a conjuge Tyszkievicii super oculos morientis deposuit. Mox illa prospexit et miraculose ab acicula, morbo caduco, veneficiis liberata, de lecto doloris sui surrexit.

a suffocatione aciculæ moribunda,

liberantur.

78. Anno 1633, Mosci Russiam populantes Albam, Polociam quoque inopino aggressi, ferro et igne deleverunt. Cum ad arcem occupandam, in qua sacrum corpus Josaphat fuerat, animum adjicerent, exercitum in vallis armatum (quem martyr dirigeret) intuiti, ex nunc profugerunt. Et tamen præsente archiepiscopo, Antonio Sielava, et ad sepulcrum martyris cum aliis orante, sciretur quis ille foret exercitus ? Nam non duntaxat milites, sed universe sumptos homines, in arce existentes, vix quinquaginta personas excessisse certo compertum est.

Arx Polocensis servatur.

79. Anno 1636, Anna, Emmanuelis Cantacuzeni filiola quadriennis, febri succensa maligna, immo lethali : quam fortis etiam et trigenarius, absque periculo vitæ, non tulisset homo. Afflictus igitur parens, ad sepulcrum eam viri Dei obtulit, et derepente sanam recepit.

Febris lethalis

80. Dorotheus Lecikovicz, religiosus S. Patris nostri Basilii, eodem anno gravissima correptus in-

et morbus extremus

valetudine, a medicis derelictus, sed non a suo archipræsule, cujus olim egerat archidiaconum, passionisque socium. Nam cum vita et morte luctatus, ad merita ejus accurrit, immadefacta reliquiarum ejus particula simplici potui, eumdem ebibit; atque integerrima se ipsum sentiens valetudine, in crastinum sacrum celebrans, Deo et martyri grates persolvit.

pelluntur.

81. Annus agebatur 1636, vigesima sexta augusti, quando Joannem Chodykam, mercimonia Vitebsco Polociam duabus Duna flumine ducentem navibus, nobilis quidem, sed malignus homo, atque acer schismaticus, Glinski, nocte cum Gregorio filio invaserunt, ac duodecim vulnera periculosa, secta, intulerunt. Quod vitæ periculum vitare volens ille, sponte suscepit aliud : et præcipitem sese in flumen agens, inclamavit : Beate Josaphat, adjuva me. Reliquias autem ejus de collo pensiles habuit. Nec frustratus adjutorio : quippe tam latum, profundum, et rapidis periculosum verticibus flumen tranavit. Et tamen subsectis manibus, aqua proluente vulnera, ipsis vulneribus quasi duodecim rivulis, sanguine manantibus, vestibus gravantibus, tenebrosa nocte, quod non perierit, Dei certe et martyris opus fuit.

Duna tranatatur.

82. Anno 1637, februarii 24, quidam Carpus Buniakievicz, in villa Kolodezie in Volhynia, sub Luceoria, centum triginta leucis a Polocia, dexteræ manus doloribus plurimum afflictus, nec sanguine

misso, quidquam adjutus, animo linquebatur, per septimanam insomnis. Interim invocabat Deum, misereretur sui, dolores mitigaret. Auditque repente ad caput suum, dum jaceret vigil, vocem ruthenice loquentem : *Quare non invocas archiepiscopum Polocensem, qui pro te Deum oret ?* Nomen ille ignorans, aliquoties prolocutus : *Beate archiepiscope, ora pro me,* et obdormivit. Somno refocillatus, non amplius dolorem sensit.

Divina monitio et sanatio.

83. Paulo superius memorati Joannis Chodycæ conjugi, Margaritæ Trudnianka, anno 1637, in fine julii, ex morbo quopiam, facies adeo intumuit, ut oculos, et os concluserit, ac vix intueri, nec edere octo diebus sibi licuerit. Igitur, die octava augusti invisuram se vovit, nona ex voto invisit martyris sepulcrum, atque ita valens domum remeavit, ut ægra fuisse nunquam censeretur.

84. Absoluto processu, anno prædicto 1637, augusti 21 die, apostolici commissarii ad corpus martyris videndum in ecclesiam descendunt. Remotisque nonnullis iconibus, sepulcretum claudentibus tabulis, insuper et seris, tumbam tela damascena purpurea tectam aperuerunt. Corpus sacrum vestitum episcopaliter est repertum ; sed vestimenta in pulveres et particulas, ob locum humidum, dissoluta. Quibus abjectis, decenter, ut par fuit, novis indutum. Mitra deposita, capillos a capite defluxisse, et in pulveres abiisse ; sed carne, et cute vestitum integrumque, cervicali purpureo superjacens, cum vulnere lethali,

Corporis integritas post 15 annos.

adverterunt. Fronte super, facie, naso, auribus, ex toto integris, ictus nonnulli, signaque vulnerum notata. Mentum, pelliculis et carne indutum, pilis carebat. Corpus ipsum, membraque universa penitus incorrupta, sed siccata. Dextræ digitus auricularis abscissus, uti etiam sinister pollex, et sura pedis sinistri. Ad sinistram plurimæ compertæ chartulæ, tam commissariorum, quam aliorum nominibus inscriptæ; qui martyrem prima commissione anno 1628, martii 24, in patronum legerant. Sic revisæ et vestitæ sacræ exuviæ, novæ tumbæ cupressinæ ex Italia, a Raphaele Korsak, episcopo Haliciensi, postea metropolitano Russiæ, advectæ, sunt impositæ; locusque, ut ante, iterato conclusus.

MIRACULA POST PERACTUM PROCESSUM.

Multa et præclara martyris, Polociæ et alibi, adnotata miracula post processum. Quæ cum ad manus non sint, aliqua saltem, eaque celebriora et menti magis fixa adnotaverim.

85. Millesimo sexcentesimo quadragesimo circiter anno, Gerasimum Kulczycki, ordinis nostri religiosum, ad latus bonæ memoriæ Athanasii Krupecki, episcopi uniti Premysliensis, morantem, præsignis nobilis schismatica, ob quasdam in actis Premysliensibus porrectas querelas, magis tamen unionis odio, ignaro penitus episcopo, captivavit. Et per aliquot menses, carceribus, catenis, fame, aliisque angustiis pressum, atque ignotos inter avectum, jamjam mergere statuit. Cum vero Petricoviam, tribunalis regni Poloniæ sedem, satellites transirent, captivus digredientibus custodibus in cœmeterium profugit. Sed extraditus : quod præses tribunalis prælatus schismaticum eum putarit. At ille præsidem latina nonnihil affatus lingua, vel maxime unitum se esse, et unionis ergo talia pati. Cum leviter id acceptum fuisset, captivus avectus. Ecce secum revolvere præses, ac dolere casum uniti. Quocirca die altera comparentem illam Petricoviæ matronam, sub pœnis legum adcitat, quod captivum contra legem Petricoviensi judicio non præsentarit. Memoratus autem captivus, non graves solum afflictiones, sed vitam quoque suam, præmonitus mortis deflebat : potissimum quod nullus confessionis excipiendæ admitteretur sacerdos. Obdormiscens in lacrymis, quem toties vigilans invocabat, somno sopitus, et vitæ et miseriæ improperantem suæ, vidit, audivitque Josaphatum. Et cum precaretur auxilium, meliorationem polliceretur, bono animo esse jussus, ut

Basilianus monachus a schismatica captivatur.

Invocatus Josaphat comparet, monet, liberandum prædicit liberatque.

brevi liberandus. Interea accurrunt dictæ matronæ famuli, catenis eum liberant, nummos confestim tribuunt: libere ageret et bene se haberet. Advecto Petricoviam ad pedes ruere domina, obliteraret injuriam, nec ulcisceretur. Et cum mulcta per judices pressa fuisset multa, ipsum quoque bene muneratum dimisit. Sed non dimisit Krupecius, episcopus Premysliensis, cognito facto, jure cum dicta agere matrona, donec eam ad turris sessionem aliasque pœnas graves in tribunali Lublinensi induxisset. A quibus liberatio ad triginta millia scutorum ipsi constitit. Sic ille jam perditus, a Josaphat adjutus, gloriose de suis hostibus triumphavit.

86. 87. Celebrantibus memoriam beati Josaphat sub annum 1642, Grodnæ, religiosis divi Basilii unitis, parochus Grodnensis, Ovieczka dictus, eundo ad celebritatem, de lubrico monte, pede fallente collapsus, pedem fregit. Brevique post, coram quodam Mohiloviensi cive schismatico, de casu suo conquestus. Qui cum subsannaret, egregium videlicet Sanctum, pedes hominibus frangentem: non beatum certe, sed maledictum esse; blasphemanti regessit ille, se quidem peccatis suis id promeritum: at ipsum mox a Deo graviter puniendum. Vixdum prolocutus erat, cum per vim inflexo capite inter femora, aversam corporis ad sedem, faciem monstraret et loqueretur. Monente sacerdote, blasphemiæ pœniteret, beatum Josaphat deprecaretur et inclamaret. Ille scelus, et verum

Blasphemi pœna miraculosa

beatum agnoscere, profusisque lacrymis invocare; mox in summo hominum confluxu, reflexo in suum locum corpore, directus stetit. et sanatio.

88. Serenissima quondam Cæcilia Renata, regina Poloniæ, in tenebras abibat : et morbo gravata rationis lumen ante vitam amiserat. Hæc, ut confessarius Societatis Jesu Szenoff, vir gravissimus, martyris patrocinio commendatæ, reliquias ejusdem sub cervical posuisset, ad se reversa, confessa, omnibusque sacris pro pietate catholica munita mysteriis, ad meliora transiit, Vilnæ, anno super millesimum sexcentesimo quadragesimo quarto.

89. Magnus vir Casimirus Leo Sapieha, M. D. Lithuaniæ procancellarius, Gedani cum aliis senatoribus morabatur anno 1645, nomine potentissimi regis Poloniæ et Sueciæ Vladislai IV, modernam serenissimam ex Galliæ regno venientem excepturus. Hic quadam die in lecto requiescens beatum Josaphat mirabilibus inclarescentem pensabat, et de tumba e stanno anglicano martyri paranda, secum reputabat. Ecce velum lecti ejus sponte sua revolvi, persona episcopi more græco splendide ornata, inter vela apparere, et suaviter dicere : *Nonne tibi suppetet pro argentea? etiam artificem comperies in illa et illa platea.* Dixit et disparuit. Strato se ille corripit, quis fuisset inquirit? Porro exposita rerum serie aliis, beatum colligit Josaphat. Pergit ad artificem; qui mirum addidit miro : se quoque persimilem vidisse virum. Os habitumque insuper descripsit, et quem in modum

Apparens Josaphat cogitationes revelat. Tumbam sibi argenteam parari jubet.

Artifici modum præscribit.

eo magistro tumba parari deberet, edixit : nec aliud nisi Deum et martyrem ita velle procancellarius intelligens, fabricari eam mandavit. Nobili proinde et liberali argento, arte honorem martyri adspirante, confectum capulum. Latera ejus, frons anterior et aversa expressum martyrii ordinem intuentibus exponunt : opere fusili et solido, et pro re jam concavo, jam convexo. Angulis quatuor, satis magni et elegantes Angeli, humeros suos et manus subjicientes, totam machinam tenere videntur; vultu ad invicem conversi, uno flectentes genu, sublevato alio, consistunt. Supra tumbam, persona Josaphat habitu induta pontificis græci, cum pastorali, magnifice elaborata, superjacet. Adjecti marmorei in quadrum ascensus, ad locum in quo tumba deponeretur, cratesque præstantes, quæ locum et loculum clauderent. Ad triginta sex millia scutorum universa moles fertur ascendere. Præsentata vero fuit Polociæ, et sacrum tumbæ corpus inclusum anno 1650.

Tumba pretiosa.

90. Illud hic mirum grande visum, vulnus tum capitis post tricenos a nece annos, sanguinem fudisse ! Fortasse Josaphat, se tali dignum tumba testatus, grato cruoris balsamo refudit.

Sanguis e capite fluit post 30 annos.

91. Sub annum 1647, nobilis quidam Polocensis, schismaticus quam par durior, sæpe miracula beati Josaphati audiens, aversus tamen ab unione et a martyre fuit : sed cum sex frugum navibus minoribus flumine Duna Rigam versus navigat, cataractas inter cum una, qua ipse fuit,

Schismatico demerso et invocanti Josaphatus apparet in profundo,

naufragatur. Dum absorbetur, Beatum implorat : nunc sibi opitularetur, si verus martyr esset, et se schisma omnino abjuraturum. Adfuit vocatus Josaphat, visusque in voraginibus fluvii pontificali vestitus habitu, manum misero porrigere. Quam ipse putans veram, et prehendens, naviculatoris cujusdam, e subsequente navi, quo utuntur in aquis, mirabili sane ratione, demersus ille nobilis, in navim extrahitur, casumque suum et martyris adjutorium ex ordine pandit, schisma abjurat, votivamque magnam ex argento tabulam, divi corpori, præsentat. et liberat.

92. Anno 1648, die 20 maii, extincto orbi christiano desideratissimo Poloniæ rege, Vladislao IV, serenissima Ludovica Maria regina gravissimum subiit vitæ discrimen, ex vi peracris, et multorum mensium ægritudinis. Nec spes supererat in humanis remediis, ad ostium æternitatis consistenti. Inter multa demum vota, pro recuperanda valetudine facta, beati Josaphati intercessionem imploravit, et brevi tempore convaluit. Grati vero animi ergo, per manus Georgii Tyszkievicz, episcopi Vilnensis, lampadem ad sepulcrum Josaphati direxit. Moribunda sanatur.

93. 94. Marschalcus regni minor, Kazanovscius, cum conjuge sua pedibus multo ægri tempore, nec incedere penitus valentes, ex voto Polociam ad sepulcrum martyris, plus quam per centum leucas, appulere. Annus tum agebatur 1649, et tempus autumnale. Quo vero die advenerant, sta- Pedibus ægri

tim ecclesiæ illati, ægritudinem suam ad sepulcrum martyris impense commendavere. Ad hospitium relati, noctu somno excutiuntur, sanissimos sese advertunt, ecclesiam propria vi adeunt, Dominumque cœli et terræ in beato martyre collaudantes, singulari oblato in signum gratitudinis anathemate, abscedunt.

repente sanantur.

95. Lublini apud prætorem Okulski, virum civitatis præcipuum, anno super millesimum sexcentesimum quinquagesimo, aprilis medio, filiolus fere septennis, gravissima distentus ægritudine, jam frigidus et exsanguis extinguebatur. Dolore animi saucius parens, proximum velox adit templum, sacrumque Deo fieri curans, moribundum commendat puellum. Ecce in ipsa sacrificii sublevatione, sentit intra se expressam cujuspiam ter loquentis vocem : Beato martyri Josaphat eum offerto, et incolumem habebis. Attonitus hæsit ille, potissimum quod nullam martyris haberet notitiam. Redeunti ad ædes suas conjux reliquiarum sacrarum amuletum porrigit, quod a sacris Carmeliticis virginibus missum, in morbis sanandis probatum habebatur. Is, cum multæ ibi fuissent divorum particulæ, beati Josaphat primo intuitu advertit. Et defixo in cœlum obtutu : *Laudetur Dominus in sanctis suis*, ait; tum mox : *tibi*, *dive*, *meum offero puellum*; ac dicto citius integerrimum recepit. Luce sequenti religiosum unitum patrem, Adrianum Mozer, virum apostolicum, a schismaticis pro fide sancta monasterio Lublinensi pulsum, cum religio-

Æger puellus, voce monente in templo,

Josaphato offertur.

Oblatus sanatur.

sis illic nonnullis, paucorum animabus unitorum inservientem, accit, oratque, Deo et martyri eucharisticum faceret sacrificium. Cui auscultaturus, puellum ad ecclesiam sancti Spiritus (in qua uniti exiles celebrabant) gestari præcipit. Quacumque vero gestabatur, manum ad manum allidens, *alleluia* identidem inclamabat. In ecclesia sacrificanti toto tempore mirabundus, manibus oculisque compositus, ac devotus adstitit.

96. Incesserat sub idem tempus Lublini pestifera lues cujusdam aurificis domum, qui imploratam a martyre, citius quam optabat, universis in domo obtinuit vitam, votoque ejus iconi argenteo contestatus est. **A peste liberatus.**

87. Nobilem quemdam et militem Polonum Tartari captivavere. Ille summis captivitatis pressus angustiis, martyrum Josaphat sæpius in adjutorium vocavit. Quadam ergo nocte cum aliis captivis concatenatus, pedicis in ferreis, terra super decumbens, et ad martyrem orans, vigil et præsens, personam habitu græco vestitam episcopali, in capite vulneratam conspicit, auditque dicentem, surgeret, ac fugeret. At ille, quonam modo surrecturus aut fugiturus esset, cum eum ligatum, catenisque et compedibus oneratum intueretur? Tum Beatus elevato pastorali ferramenta percussit, statimque concidere. Et ait, nunc jam liberum, acceleraret fugam. Quibus dictis, disparuit. Ipse gaudium inter et trepidationem positus, surgit, fugitque. Insequentes Tartaros in via procedens **Captivus a Tartaris, comparente Josaphat et pedicas solvente liberatur. Fugiens non videtur.**

videt, nec videtur; et sic evasit. Polociæ anno 1652, circa festum principum apostolorum comparens, tantum a Deo et martyre sibi beneficium præstitum, universa coram populi multitudine propalavit, et tabella, quæ rei seriem exprimebat, sepulcro contestatus est.

A podagra liberatus.

98. Nicolaus Potocki, castellanus Cracoviensis, exercituum Poloniæ dux supremus, circa annum 1652, intolerabili afflictus podagræ invaletudine, auctoribus venerandis patribus Carmelitis excalceatis, in Podolia Camenecensibus, Josaphato devote supplicavit. Cum vero particula corporis ejus, quæ sacra Cameneci servatur in æde Carmelitarum, in loco doloris ejus apposita fuisset, ex nunc eo liberatus est.

A schismate pervicaci conversus mirabiliter.

99. Consul Vilnensis, Stephanus Rzepnicki, cum socia tori schismatica, Polociam advenit : ex voto ille Josaphat sepulcri, fratris ista archimandritæ Polocensis visendi. Nec prius ille affinem, quam sacrum locum, ista renuente accessit. Tamen victa ecclesiam intravit, unionem et Josaphat procaciter blasphemans. Ne vero recta ad altare pergeret, sacrumque audiret, retro columnam, propter ipsum sepulcrum, tunc obvelatum, ignara consedit. Ecce tenuis auræ divinæ sibilus cordi ejus adspiravit : intellectu illuminata, voluntate bene mota, inque amarum resoluta fletum, non gemere, sed altum singultire. Concurrentibus et cum stupore petentibus, quid ejularet, templo, ait, non exituram, nisi confessam, unitamque. Mox pro-

trito, meritis Josaphati, schismate, cum nollet, ardentior facta catholica.

100. Cum totam fere Moscus occupasset Lithuaniam, anno 1660, triduo ante festum principum apostolorum, Paulus Sapieha, palatinus Vilnensis, exercituum Lithuaniæ supremus dux, paucis Lithuanis, Stephanus Czarnecki, tum Russiæ, post Kioviæ palatinus, paucioribus Polonis, instructi copiis : quibus vix octo æquarunt, non superarunt militum millia. Ambo ut magnanimi, sic strenui heroes, generose ibant in adversa Moscorum viginti quinque millia : e quibus lectissimi peditis decem millia censebantur, equites cæteri. Data exercitibus nostris tessera *Beatus Josaphat*. Interea nonnullis huc et illuc dimissis, ad explorandum hostem, cohortibus, in crastinum processum. Obliti tesseræ mutandæ duces; nec si voluissent, mutare potuissent : hoste in oculis versante, legionibus divisis, nec nisi sub ipsum certamen affluentibus. Sed alacriter congressi, hostem gloriose profligavere. Cæsorum in acie ultra quatuor supra decem numerata millia. Ne memorem silvas, in quibus vernæ plerosque oppressere : nostrorum paucissimi desiderati. Conflictu feliciter transacto, tesseram memorantes convenere duces : et cum sub regimine nominis Josaphat, hostem prostratum advertissent, Deo et Josaphat victoriam detulere. Illud quoque singulare divinæ et martyris beneficentiæ argumentum notatum, quod per profluentem quemdam, illo in loco, multæ cohortes

Victoria celebris de Mosco sub tessera Josaphat.

equitum peditumque transierint, ut hostem a tergo conficerent : et tamen nec ante nec post conflictum, illac transire ullus potuit; cum locus ille uliginosus, profundus ac periculosus ab omnibus habeatur. Inter præsentata regiæ majestati erepta hostibus signa, lectum id, non sine numine, in senatu, præsente republica, comitiorum tempore, a quodam magni nominis, legionisque unius ductore, schismatico : nimirum ut etiam ex ore inimici B. Josaphat sibi perficeret laudem. Neque id sileri voluit serenissimus Joannes Casimirus, rex Poloniæ, cum ad Sanctissimum Dominum, Ecclesiæ sanctæ nunc feliciter moderantem, pro canonizando eo martyre supplicasset.

APPENDIX.

1

DECRETUM

SACRÆ CONGREGATIONIS RITUUM

IN CAUSA POLOCENSI BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

BEATI MARTYRIS JOSAPHAT

ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS, ORDINIS S. BASILII MAGNI.

Commissa dudum a Sanctissimo Domino Nostro Urbano, divina providentia papa VIII, sacræ Rituum Congregationi, ad instantiam Serenissimorum Poloniæ et Sueciæ regum, Sigismundi III et Vladislai IV, necnon ad supplicationem metropolitanorum, principum, ac universi cleri et populi catholici regni Poloniæ Magnique Ducatus Lithuaniæ, ac totius Russiæ, necnon venerabilis ordinis monachorum S. Basilii Magni, causa servi Dei Josaphati, archiepiscopi Polocensis, ejusdem ordinis S. Basilii, pro Christi nomine et fide catholica et pro sancta potissimum unione cum Ecclesia Romana, Vitebsci in Russia Alba, 12 nov. 1623, a schismaticis trucidati; illaque deinde per plures annos per eamdem sacram Congregationem servatis servandis discussa et examinata,

auditis desuper etiam theologis, consultoribus, et sanctæ fidei promotore. Post obtentam prius ab eodem Sanctissimo Domino Nostro, sub die 27 januarii 1629, specialem derogationem decreti Sanctitatis Suæ, de non procedendo in causis servorum Dei ad effectum canonizationis et beatificationis, aut declarationis martyrii, nisi lapsis quinquaginta annis ab obitu illorum : et prævia, sub die 2 martii 1641, ejusdem Sanctissimi licentia, ad ulteriora in hujusmodi causa, in Congregationibus ordinariis procedendi, referente eminentissimo et reverendiss. domino Joanne Baptista tituli S. Eusebii S. R. E. presbytero cardinali, Pamphilio nuncupato, proposita; eadam sacra Rituum Congregatio, die secunda martii anni 1641, censuit constare de validitate processuum; die vero 13 septembris 1642, constare de martyrio, et causa martyrii; die demum 22 novembris ejusdem anni, constare etiam de miraculis. Ideoque sacræ Congregationi videtur, si SS. Domino Nostro placuerit, posse dictum servum Dei Josaphatum Beatorum martyrum catalogo adscribi, et ad solemnem ipsius canonizationem deveniri. Interim vero donec ad ipsam canonizationem deveniatur, visum pariter fuit, facultatem concedi posse, ut de eodem martyre ab omnibus monachis ordinis S. Basilii, ubique terram existentibus, necnon in omnibus ecclesiis diœcesis et provinciæ Polocensis ac totius metropoliæ Russiæ, a quibuscumque sacerdotibus, tam sæcularibus, quam regularibus, die natalis ipsius, 12 videlicet novembris, officium et missa de communi unius martyris pontificis recitari respective ac celebrari valeat, juxta rubricas breviarii et missalis romani, necnon græci seu rutheni, ab Apostolica Sede approbati. Quam sacræ Congregationis sententiam ad se relatam, præsente ibidem sanctæ fidei promotore,

die 14 decembris 1642, laudavit, et approbavit, et Breve desuper in forma expediri mandavit.

Julius episc. Tuscul. Card. Sabellus.

Loco † Sigilli

C. Paulutius, *S. Congreg. Rit. Secr.*

INDULTUM

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI URBANI PAPÆ VIII

CELEBRANDI MISSAM ET RECITANDI OFFICIUM

DE B. MARTYRE JOSAPHATO

ARCHIEPISCOPO POLOCENSI, MONACHO ORDINIS S. BASILII.

URBANUS PAPA VIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

In Sede principis Apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, divina providentia constituti, ad ea, per quæ servorum Christi, qui pro ejus Ecclesia sanguinem suum fuderunt, veneratio in terris promoveatur, et laudetur Dominus in Sanctis suis, pastoralis muneris nostri partes propensis studiis impendimus: prout

pia christifidelium et præsertim catholicorum regum et principum vota exposcunt, Nosque conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane nomine dilectorum filiorum, monachorum ordinis S. Basilii, Nobis nuper expositum fuit, quod commissa dudum a Nobis Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum, ad instantiam claræ memoriæ Sigismundi, dum viveret, Poloniæ et Sueciæ regis illustris, et carissimi in Christo filii nostri Vladislai, etiam Poloniæ et Sueciæ Regis illustris, necnon ad supplicationem Venerabilium Fratrum metropolitanorum, archiepiscoporum, et episcoporum ac dilectorum filiorum nobilium virorum, palatinorum, principum, ac universi cleri et populi catholici regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, ac totius Russiæ, necnon ordinis prædicti, causa servi Dei Josaphati, archiepiscopi Polocensis, ejusdem ordinis S. Basilii, pro Christi nomine et fide catholica et pro sancta potissimum unione cum Ecclesia Romana, Vitebsci in Russia Alba, die 12 novembris 1623, a schismaticis trucidati; illa deinde per plures annos per eamdem Congregationem servatis servandis discussa et examinata, auditis etiam desuper theologis, consultoribus et sanctæ fidei promotore, post obtentam prius a Nobis, sub die 27 januarii anni 1629, derogationem decreti nostri de non procedendo in causis servorum Dei ad effectum canonizationis seu beatificationis, aut declarationis martyrii, nisi lapsis quinquaginta annis ab obitu illorum, et prævia sub die 2 martii 1641, nostra licentia, ad ulteriora, in hujusmodi causa, in Congregationibus ordinariis procedendi, referente dilecto filio nostro Joanne Baptista tituli S. Eusebii ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali, Pamphilio nuncupato, proposita; eadem Congre-

gatio, dicta die 2 martii 1641, censuit constare de validitate processuum; die vero 13 septembris 1642, constare de martyrio et causa martyrii; die demum 22 novembris ejusdem anni 1642, constare etiam de miraculis; ideoque eidem Congregationi videri, si Nobis placeret, posse dictum servum Dei Josaphatum beatorum martyrum catalogo adscribi, et ad solemnem ipsius canonizationem quandocumque deveniri. Quare pro parte non solum prædictorum, verum etiam Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotio propagandæ fidei propositorum, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut interim donec ad solemnem canonizationem dicti servi Dei Josaphati deveniatur, idem servus Dei Josaphatus beatus nuncupari, atque officium et missa de eo, ut infra, celebrare possit. Nos itaque, piis Vladislai regis, cardinalium, metropolitanorum, archiepiscoporum, episcoporum, palatinorum, principum, cleri, monachorum et populi prædictorum votis hujusmodi, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem Cardinalium sacris ritibus præpositorum consilio, ut ipse Dei servus Josaphat in posterum beatus nuncupari atque ab omnibus monachis dicti ordinis S. Basilii, ubique terrarum existentibus, necnon in omnibus ecclesiis diœcesis et provinciæ Polocensis ac totius metropolis Russiæ, a quibuscumque sacerdotibus tam sæcularibus quam regularibus, die natalis ipsius, duodecima videlicet novembris, officium et missa de communi unius martyris pontificis recitari respective ac celebrari, juxta rubricas breviarii et missalis romani, necnon græci seu rutheni, ab Apostolica Sede approbati valeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam et facultatem concedimus, et impartimur. Non obstantibus constitutionibus, et ordi-

nationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, notarii publici manu subscriptis, et alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI maii MDCXLIII. Pontificatus nostri anno vigesimo.

M. A. Maraldus.

II

NONNULLÆ EPISTOLÆ

IN CAUSA

MARTYRII ET BEATIFICATIONIS B. JOSAPHAT.

SS. D. N. URBANO VIII

JOSEPHUS VELAMIN RUTSKI ARCHIEP. METROPOL. RUSSIÆ.

Primus annus summi pontificatus B. V. coronatur martyrio magni antistitis Russiæ, Josaphati Kuncevicz, archiepiscopi Polocensis. Is in visitatione suæ diœcesis, quam in propria persona faciebat, Vitebsci die 12 novembris, anno præsenti 1623, die dominica, postquam absoluto matutino ex ecclesia ante diluculum exivit, et domi suæ ad sacram Missam, quam pontificaliter illa die celebraturus erat, disponere se cœpit; a plebe illius civitatis tribus ferme horis hostiliter cum bombardis et alio telorum genere in domo sua episcopali oppugnatus, tandem expugnatus, et crudelissime trucidatus est. Postea in corpus archiepiscopale jam exanime miris modis sævitum : pedibus calcatum, etiam a mulieribus, per aream domus raptatum, fune ligatum, et per plateas

ad ripam Dunæ fluminis pertractum et submersum est. Familia ipsius domestica, quæ tunc penes ipsum erat, multis vulneribus confecta, adhuc quidem vivit; sed archidiaconus, et ex sæcularibus præfectus domus vix sperantur supervicturi. Doleo ex hac parte, quod a me corporaliter ablatus sit is, qui mihi dextera manus erat; quod tamen per tam gloriosam mortem ablatus, gaudeo plurimum : certam quippe spem habeo potentius illum pro nobis operaturum in cœlo, quam operari potuisset in terra. Et quia pro gloria Dei, pro sancta Unione, pro auctoritate S. Sedis apostolicæ sanctus ille martyr vitam suam posuit; Tibi, summo sacerdoti, hanc hostiam præsentamus, per Tuam Beatitudinem Deo Omnipotenti in sacrificium offerendam, ut huic negotio, quod nos sudoribus nostris plantamus, et sanguine rigamus, ipse det incrementum tunc, quando erit beneplacitum ipsius. Nos porro sicut ad hos labores promptiores mortibus patrum et fratrum nostrorum efficimur; ita operarios novos submitti, per modum a S. Congregatione de Prop. Fide, interveniente approbatione B. V., conclusum (ne postea defectu operariorum Dei negotium pessumeat), rogamus et obsecramus. Deus Opt. Max. sub pedes B. V. subjiciat omnes hostes Ecclesiæ suæ, et vitam concedat longissimam omni genere bonorum cumulatam.

Minsci, 31 decembris 1623.

CARDINALI OCTAVIO BANDINO

PROTECTORI RUSSIÆ

IDEM JOSEPHUS ARCHIEP. METROPOLITA.

In regno christiano sub rege catholico schismatici tantum facinus perpetrare ausi sunt, ut Vitebsci pastorem suum, archiepiscopum Polocensem, Josaphat Kuncevicium trucidaverint, instinctu procul dubio pseudoepiscoporum, qui Kioviæ sub patrocinio Cosacorum impune delitescunt, et suos per universum regnum hinc inde mittunt, ut homines non tantum avertant a nobis, sed etiam concitent contra nos. Die 12 novembris, anno proxime elapso, qui erat dies dominicus, ipso diluculo, quando bonus antistes ex ecclesia, post absolutum matutinum, domum se receperat, ut ad sacrum pontificaliter illo die celebrandum sese disponeret, plebs civitatis illius magistratu connivente, signo per campanam prætorii et omnium ecclesiarum dato, expugnarunt scelerati homines domum archiepiscopalem, et virum sanctissimum omni veneratione dignum trucidarunt, ac postea in sacrum corpus jam exanime diris modis sævierunt, de quibus omnibus in particulari visum est potius in alia charta, quam in his litteris scribere. Omnium nostrorum Unitorum copiosæ in hac tanti antistitis inopinata morte effusæ sunt lacrymæ, maxime vero Vilnensium, apud quos toto fere vitæ suæ tempore vixit; vixit autem sanctissime, et promovendæ Unioni unice erat necessarius, indefessus quidem in laboribus, imperterritus in periculis, faciebat tot et tanta, quæ

prudentia humana in præsenti rerum statu non suaderet: unde admirationi fuit omnibus. Licet ergo de tali homine a nobis corporaliter avulso communis omnium fuerit tristitia, tamen in promptu est magni gaudii occasio, martyrium ejus gloriosum, quod animo forti subiit. Unde certi sumus, quod plus pro sancta Unione operabitur in cœlis, quam operari potuisset in terris. Mihi certe in omnibus tribulationibus meis, quæ frequentes sunt per gratiam Dei, ipse fuit unicum solamen et levamen: unde nunc tanquam turtur orba socio gemam in hac misera peregrinatione mea, exspectando horam, qua trahet me post se; et utinam dignus sim trahi tali fune, quali ipse tractus est!

Antequam tamen hoc fiat, mearum partium erat proponere Eminentiæ Vestræ et simul commendare hæc duo. Primo, ut quamprimum seminarium in Russia perducatur ad fidem, et committatur domino Nuntio apostolico hic residenti, ut convocet nos episcopos, et exigat a nobis annuam contributionem pro eodem seminario; dabunt alii libenter, alii reverenter. Secundo, Sua Sanctitas, seu Congreg. sacra de Propag. Fide scribere dignetur ad serenissimum regem nostrum, ut pseudometropolitam et episcopos ejusdem farinæ, ante biennium contra nos legitimos episcopos, contra jura divina et humana ordinatos, auctoritate sua regia submovere dignetur: ab illis enim veniunt istæ populorum seditiones, sacerdotum, immo et episcoporum mortes. Quod reliquum est, Deus Opt. Max. E. V. Ecclesiæ sanctæ ac reipublicæ christianæ servet diutissime incolumem.

Novogrodeci, 27 januarii 1624.

SIGISMUNDO III REGI POLONIÆ

URBANUS PP. VIII.

Quis dabit oculis nostris fontem lacrymarum, ut schismaticorum crudelitatem et Polocensis archiepiscopi mortem lamentari possimus? En quo progreditur impietatis barbaries, quam non satiat innocentium fletus, nisi sacrilegam sitim expleat sanguine sacerdotum! Sacrum antistitem non infulis modo, sed etiam moribus venerabilem in propriis ædibus a facinoroso clero et sæviente populo isthic trucidatum esse, non obscurum est divinæ ultionis documentum in eos populos. O rem visu fædam, auditu miserandam! Corpus illud, quod Spiritus sancti templum fuit, ferocientium manibus per civitatis compita tractum esse accepimus; et cui plaudentes Angeli credendi sunt martyrii coronam detulisse, schismatici scelus anhelantes, per summum humanæ ferocitatis dedecus illusisse barbarum in morem dicuntur. Nos quidem pretiosam hanc mortem, qua cœlestis principatus hæreditas aditur, optimo antistiti gratulari Ecclesiam posse censemus. At enim impunitam esse nefas est sicariorum crudelitatem. Ubi tam atrox facinus divinæ ultionis flagella implorat, maledictus homo, qui prohibet gladium suum a sanguine. Ferro igitur atque igne abstinere, rex potentissime, non debes. Sentiat hæresis non deesse cruentis sceleribus supplicia. In tam detestando facinore misericordia pro sævitia est habenda. Quare moras omnes rumpat M. T., et pia indignatione exardescens, mœrentis religionis lacrymas impiorum

pœnis consoletur. Disserenti negotium hoc venerabili fratri J. Bapt., episcopo Nolano Nuntio nostro, perinde ac Nobis ipsis, credere poterit, M. T., cui apostolicam benedictionem impertimur.

Romæ, apud S. Petrum, 19 febr. 1624. Pontif. nostri anno 1.

SIGISMUNDO III REGI POLONIÆ

URBANUS PP. VIII.

Inimici nostri non dormiunt, et dies noctesque discordiarum pater zizania serit, ut in Ecclesiæ vinea pro frumento oriantur tribuli, et pro hordeo spinæ. Par est nos non minori diligentia venenatas stirpes evellere, et inutiles ramos amputare. Silvescerent alioquin omnes regiones, et quæ paradisus Domini esse debent, fierent paulatim seminaria venenorum, et pascua draconum. Id autem quam facile in Russia contingere possit, præsentes miseriæ docent : inde enim infensa catholicæ religionis hostis schismatica hæresis impiorum dogmatum monstra in finitimas provincias immittit, et nuper in Cosacorum concilia subdole irrepens, fortissimorum militum viribus armata, propugnare audet causam satanæ, et orthodoxæ veritati excidium minitari. Exurge, rex, Turcarum cladibus et impiorum odiis clarissime, apprehende arma et scutum, et si publica salus id exigat, serpentem hujus pestilentiæ contagionem ferro etiam atque igne coerce. Quæ vero a Spiritu sancto protecta,

a Romano Pontifice comprobata, Unio Ruthenorum tum insidiis tum viribus oppugnatur, extollat tandem, te defendente, caput cœlo gratum, sentiatque in septentrione potentissimum regem constitutum a Deo piæ causæ defensorem. Schismaticorum sodalitia illic institui, novas leges identidem contra Unitos sanciri, accipimus. Regia auctoritas, quæ fidei præsidium esse debet, sacrilegam hanc temeritatem infringat. Et quoniam minas pœnis non armatas negligere solet impietas, quæ cœli fulmina et inferorum cruciatus non timet, curet Majestas Tua, ut pseudo-episcopi Rutheni, qui turbas movere, et in Cosacorum comitiis dominari conantur, dignum tam audaci facinore supplicium ferant. Tum ille seditionum fax et facinorosorum dux, patriarcha Hierosolymitanus, regalis iræ vim experiatur, illiusque calamitate cæterorum coerceatur audacia. Quod etsi difficile factu videtur, quid tandem non expugnabit pietas, quam cœlum tueatur, et regia auctoritas armet? Certe Nicephorus ille Græcus, qui factus armiger diaboli et signifer seditionis, tot contra Ruthenos unitos procellas in illis provinciis non ita pridem, sedente Clemente VIII, excitavit, tandem deformatus ærumnis et perpetuis vinculis mancipatus, docuit, non modo quam atrox, sed etiam quam misera res scelus sit. Ejusmodi exempla si crebro schismatica temeritas intueatur, non ita animos tollet, et ultionum Dominum formidare discet. Proinde rogamus M. T., ut causam hanc omni quo potest studio atque potentia tueatur. Id autem facile incipere potest, si regali patrocinio Unitos episcopos muniverit, iisque faciles aditus ad aulam et concilia patere jusserit, curaveritque, ne episcopalis sacerdotii dignitas in iis minori cultu, quam in cæteris præsulibus colatur. Disserenti tam grave negotium ven. fratri Joan. Baptistæ, ep. Nolano Nuntio

nostro, perinde ac Nobis, credere poterit M. T., cujus perspecta pietas hoc Ruthenis periclitantibus præsidium Nobisque mœrentibus solatium pollicetur, cuique apostolicam benedictionem impertimur.

Romæ, 10 februarii 1624, Pont. an. 1.

SACRÆ CONGREGATIONI DE PROPAGANDA FIDE

EPISCOPI RUTHENI UNITI.

Occasio tam funestæ, atque vix unquam auditæ cædis Deo dilecti fratris nostri Josaphati, archiepiscopi Polocensis, quam schismatici in virum vere sanctum (ob hoc unicum quod primatum S. Sedis apostolicæ, ac proinde fidem catholicam semper strenue defenderit) ausu nefario perpetrarunt, id effecit, ut ad reverendissimum Josephum, metropolitam nostrum, Novogrodecum in communi negotio promovendæ sanctæ Unionis convenerimus omnes; a quo quia multa eaque maxima a S. Congregatione de Propag. Fide, præsertim vero nunc nobis undique afflictis, præstari audivimus, æquum id esse duximus ut gratos nos tantorum, per litteras saltem, declararemus beneficiorum. Quæ quandoquidem tanta sunt, ut nos ad majora etiam, quam nunc passi fuerimus, perferenda mala stimulent. Majus gratitudinis signum erga eamdem S. Congr. exhibere non possumus,

quam dum vitam nostram cum sanguine, prouti jam unus ex nobis profudit, pro fide catholica fundere paratissimos nos offerimus. Vos tantum, Patres Eminentissimi, per Deum, cujus honorem defendimus, obsecramus : prout cœpistis, pergite, et nobis sub onere gementibus, si non collabentibus, manum auxilii submittite, ac collapsas res nostras in hoc ritu, qui quondam eheu! tanta sanctitate et doctrina resplenduit, erigite. Quod reliquum est, Deus Opt. Max. conservet Eminentias Vestras in annos plurimos, pro gloria sua sancta, et incremento Ecclesiæ catholicæ.

Novogrodeci, die 30 januarii 1624.

EE. VV. humillimi servitores,

JOSEPHUS VELAMIN RUTSKI, metrop. Kiovien., Haliciensis, etc.
JOACHIMUS MOROCHOVSKI, episc. Vladimir. et Brestensis.
ATHANASIUS PAKOSTA, episc. Chelm. et Belzensis.
JEREMIAS POCZAPOVSKI, episc. Luceorien. et Ostrogiensis.
ANTONIUS SIELAWA, episc. Poloc. Vitebsc. et Mstislaviensis.
GREGORIUS MICHALOWICZ, episc. Turovien. et Pinscensis.

JOSEPHO METROPOLITÆ RUSSIÆ

OCT. CARD. BANDINUS, PRÆFECTUS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

Litteras Amplitudinis Tuæ, et coepiscoporum Unitorum, summa cum lætitia legimus. Ex iis enim et grati animi vestri erga sacram hanc de Prop. Fide Congregationem firmissimum testimonium, et magnitudinem ac robur ad quæcumque terribilia pro defensione primatus S. R. E. perferenda, non solum cognovimus, sed oculis ipsis perspeximus. De nostra autem in vos et Unionem vestram in futurum benevolentia, nostrisque erga res vestras studiis, sive illæ ad honorem et dignitatem vestram sustinendam et amplificandam, sive ad vestrarum ecclesiarum regimen fulciendum ac juvandum pertineant, dubitare non debetis. Nam semper tam apud summum catholicæ Ecclesiæ Præsulem, quam apud serenissimum Poloniæ regem, desideria et postulationes vestras totis viribus promovebimus. De Collegio in Russia ad institutionem operariorum pro ruthena Ecclesia erigendo, duplicatas Nuntio Poloniæ litteras dedimus, et cum ejus responsum acceperimus, serio de hujusmodi re tractabimus, et si fieri poterit, ut desiderio vestro omnino fiat satis, curabimus. Scribimus etiam de eodem negotio episcopo Vilnensi, Unionis, prout sæpe intelleximus, amicissimo : eo quod speramus illum potentia et auctoritate sua plurimum auxilii erectioni collegii esse allaturum. Valete, etc.

Romæ, die 4 maii 1624.

CARD. BANDINO PROTECTORI

JOSEPHUS METROPOLITA RUSSIÆ.

Post occisum tam immaniter archiepiscopum Polocensem nostrum, qua de re alias fusius E. V. scripseram, serenissimus rex noster motus indignitate rei, ut averteret ab universo regno justam vindictam Dei pro effuso sanguine antistitis, misit commissarios ad illam civitatem tanto scelere obstrictam ; qui habentes secum satis validum præsidium in equitatu et peditatu (timebatur enim periculum a Cosacis, ad quos pro patrocinio confugerat illa civitas) usi celeritate et dexteritate, triduo judicium et executionem peregerunt. Consules duos civitatis illius et octodecim alia cum illis capita truncarunt, bonaque ipsorum fisco adjudicarunt. Centum alios circiter cives, qui ante adventum commissariorum in diversa profugerant, capite damnarunt et proscripserunt, bona ipsorum itidem fisco cesserunt. Privilegia regum Poloniæ ab antiquo huic civitati data abstulerunt, et prætorium, omnibus videntibus, ac magis hoc damnum, quam decollationem concivium suorum deflentibus, diruerunt; campanas, quæcumque contra episcopum pulsatæ fuerant, ab omnibus ecclesiis abstulerunt, duas synagogas schismaticorum disjecerunt, ulteriores pœnas arbitrio regis reliquerunt. Magnus hinc terror invasit omnes schismaticos, et intelligere cœperunt quod quando senatores jussa regia exsequi volunt, non movent illos terrores potentiæ Cosacorum. Interea humillima mea obsequia E. V. etiam atque etiam commendo.

Bitenii, 11 februarii 1624.

JOAN. BAPT. LANCELOTTO, EP. NOLANO

NUNTIO POLONIÆ

OCT. CARD. BANDINUS, S. CONGR. DE PROP. FIDE PRÆFECTUS.

Il risentimento non men giusto che rigoroso fatto da cotesto piissimo Re contro quei scismatici, che uccisero il buon arcivescovo Polocense, e stato successo sommamente caro a Nostro Signore, ed a questa Sagra Congregazione de Prop. Fide, nella quale essendoli letta la lettera di V. S. di 22 di febraro, Sua Beatitudine col testimonio delle lagrime ha dimostrato il particolar sentimento dell' allegrezza, ch' ha sentita : e per maggior espressione dell' animo suo, ha ordinato, che con un breve si ringrazii Sua Maesta, colla quale anche la Congr. vuole, che V. S. faccia il medesimo offizio a suo nome con quella vivezza d'affetto e di spirito, che si conviene in fatto tanto pio, e tanto giusto. Piacesse a Dio, che questo miserabile esempio desse luce a quella cieca gente per conoscere il vero sentiero della salute, e mettesse loro in pensiere di cosi sepelir nell' inferno l'error del cuore, come nascosero quello delle mani nel fiume Duna. Si manda a V. S. un duplicato della lettera, scrittale sotto Papa Gregorio di s. m., in materia del Collegio de' Ruteni, e conforme a detta lettera pigliera le debite informazioni, e ne dara avviso alla sagra Congregazione, ed in particolare usi diligenza per intender, se si potesse a detto Collegio applicar qualche beneficio latino. Con che me le offero di tutto cuore.

Roma, 20 aprile 1624.

SIGISMUNDO III REGI POLONIÆ

URBANUS PP. VIII.

Mallemus equidem rationibus quam vulneribus medicabilia esse hæreticorum ingenia : charitatem enim nostram delectaret magis gladius vagina tectus, quam infectus sanguine. Tamen insanabilia membra ferro indigent, ne pestilentium partium contagione universum corpus contabescat. Hinc par est, curatores publicæ salutis non semper clementiæ reminisci, sed etiam aliquando severitatis : impiorum enim supplicia exterrent eorum audaciam; qui iniquitatem sicut aquam bibunt, nec tantum præda, quantum scelere delectantur. In ejusmodi verbis agnoscere potest laudes M. T., cujus iram ac justitiam experti nuper sunt immanes Polocensis archiepiscopi interfectores; Vitebscum enim, quod facinoris tam execrandi exemplum præbuit, dicitur nunc documentum divinæ ultionis et regiæ pietatis. Qui enim civitatis illius scelus commemorabit, conqueri certe non poterit, impunitate nutritam fuisse sacrilegam schismaticorum sævientium crudelitatem. Propugnaculum in iis regionibus videris exstruxisse, quod Ruthenæ Unionis causam tuebitur; et eorum compescet audaciam, quos catholicæ religionis miseriæ delectant. Consilium M. T. cum gratissimum fuisse cœlo arbitremur, merito apostolicarum litterarum voce laudatur. Nos vero orabimus Patrem misericordiarum, ne regem juvandis subditis natum, ad acerbam hanc necessitatem adduci sinat, sed potius eam mentem det Polonis, ut regalem magis beneficentiam, quam indignationem promereantur.

Romæ, apud S. Petrum, 11 maii 1624. Pont. an. 1.

JOSEPHO METROPOLITÆ RUSSIÆ

OCT. CARD. BANDINUS.

Vitam sanctissimam mortemque acerbissimam B. M. Josaphat archiepiscopi Polocensis (quam rutheni alumni Amplitudinis Tuæ et coepiscoporum tuorum nomine Sacræ de Prop. Fide Congregationi exhibuerunt) non sine lacrymis et lætitiæ et doloris testibus perlegimus. Et quia causam mortis viri illius considerantes, facile cognovimus, rem hanc non esse silentio prætereundam, censuimus legitimum de ea, juxta S. R. E. consuetudinem ac morem, instituendum esse processum, ut factum æterna memoria et immortali gloria dignissimum non solum toti Ecclesiæ catholicæ innotescat, sed etiam illustrissimi martyrii exemplum, quod imitari possit, proponatur. Quam ob rem una fuit omnium Eminentium Patrum sententia, ut breve a SS. D. N. ad Nuntium Poloniæ petatur, quo ei processum juxta formam præscribendam de vita, moribus ac morte, mortisque præfati archiepiscopi causa, conficiendi facultas concedatur; quod si obtinere, prout speramus, poterimus, Altitudinem Tuam et coepiscopos tuos certiores faciemus, ut Nuntio prædicto, quæ ad processum instruendum necessaria erunt, suppeditare possitis. Valete et nos diligite, Deumque pro nobis orate, quod pro vestra incolumitate nos quoque facturos pollicemur.

Romæ, 4 maii 1624.

III

DE MARTYRIO SERVI DEI

JOSAPHAT KUNCEVICII

ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS

ET QUALITER IN ILLO SUSTINENDO SE GESSERIT.

(Ex relatione auditorum Rotæ ad Urbanum VIII data.)

Josaphatus, primum monachus S. Basilii et deinde archiepiscopus polocensis, antea Joannes Concevitius, natus est Vladimiriæ, anno a partu Virginis 1585, ex Gabriele et Marina, honestis parentibus orthodoxis catholicis, vinculo matrimonii rite copulatis; et sacro lavacro baptismatis catholico ritu fuit initiatus, atque pie ab iisdem educatus, ut deponunt sex testes in *Processu Polocensi:* nempe primus, qui est octogenarius, secundus, tertius et quartus, qui sunt consules civitatis et plusquam sexagenarii, et quintus ac sextus (ut in fol. 22, 23 et 37). In ipsa pueritia piis moribus institutus præmaturum ac præcox adeo ad religionem ostendit ingenium, ut vacaret assidue orationibus et quotidianis precibus, quibus cum Deo conversabatur in secessu templi S. Parasceves, ubi

et depingendis formandisque Sanctorum imaginibus operam dabat; tamdiuque interdum in sacris ædibus commorabatur, ut sollicitos faceret parentes ob sui absentiam : unde ipse Joannes tanquam exemplar virtutum atque egregiæ indolis cæteris etiam provectioris ætatis adolescentibus proponebatur, ut testantur iidem primus et tertius testis in *Processu Polocensi* (fol. 22).

Post quas præproperæ pietatis ac sanctimoniæ prolusiones, cum usque ad annum Christi 1604 eumdem vitæ honestæ tenorem servasset, vigesimo ætatis anno religionem S. Basilii ingressus est, et in ea professus in monastica perfectione et vitæ sanctimonia ingentes progressus fecit, claruitque eximie moralibus ac theologicis virtutibus, divinis rebus et assiduæ orationi, corporis castigationi, piorumque librorum lectioni valde addictus, ut comprobatur in testimonio quatuor testium in *Proces. Poloc.*, nempe 32 qui est consul (fol. 34) et testes 57 et 59 (fol. 43), quorum alter est sacerdos Societatis Jesu, alter monachus ordinis S. Basilii, et testis 71 (fol. 58); adeo ut paucos post annos, assumpto Josepho, Vilnensi archimandrita ad totius Russiæ metropolim, Josaphatus in ejus locum suffectus creatus fuerit archimandrita Vilnensis. Quo in munere summa cum prudentia suas optime implevit partes atque omnibus omnia factus, ob penuriam sacerdotum unitorum, solus omnia pene ecclesiastica munera obibat, divinis officiis assidue interessendo, frequenter concionando, et immensa cum charitate, qua omnes homines diligebat, ut de S. Petro inquit S. Clemens papa, epistola I, salutem omnium procurando, ut testificantur in *Processu Poloc.* testes 59, 68, qui est archiepiscopus Polocensis, ex ordine S. Basilii, alumnus ipsius Josaphati, 69 qui est episcopus Methonensis, ac 71, necnon testes 53 et 56, sacerdotes Socie-

tatis Jesu, et testis 61, archidiaconus ordinis S. Basilii et comes passionis Josaphati, atque alii in eodem *Processu*.

Donec anno 1619, post Gedeonem, archiep. Polocensem, idem Dei famulus invitus ad archiepiscopatum evectus fuit, ut ait testis 69, in *Processu Polocensi*. Quam ejus humilitatem ponderat etiam testis 16; fugamque meditabatur, exemplo antiquorum episcoporum. Ad quod munus tali cum pompa et majestate populique alacritate exceptus fuit, ut nemo alius, ut describitur in *Processu* (fol. 19).

Incredibile dictu est, quantum in hac dignitate zelum et charitatem ostenderit, totus in corrigendis et componendis corruptis et depravatis populorum suæ diœcesis moribus, omnium confessioni audiendæ publice et privatim, domi et foris expositus, suavibus verbis peccatores excipiens, quæ verba penetrabant et lacrymas extorquebant, ut deponunt præallegati testes 53, 51, 61, 62 et 68 in *Processu Polocensi*. Abusus multos circa sacramentorum administrationem sustulit et frequentiam sacramentalis confessionis instituit, ut deponunt testes 53 et 103. Orationi assiduæ vacabat, adeo ut singulis noctibus surgeret ad orandum et implorandum cum gemitu et lacrymis pro conversione schismaticorum divinam opem; matutinæ etiam psalmorum recitationi semper interveniendo, ut aiunt testes 59, 61 et 73 de visu, subdens, se subinde clanculum pariter audivisse archiepiscopum in precationibus clamantem: *Domine Deus, da unionem Ecclesiæ sanctæ et conversionem schismaticorum*, testibus 63, 68 et 71 qui ponderant, archiepiscopum consuevisse primum omnium surgere ad matutinum, ita ut sæpius ipse pulsaret campanas pro monachis convocandis, postquam etiam fuerit ad archiepiscopatum promotus; inter orandum autem sæpenumero se

flagris cædebat usque ad sanguinis effusionem, adeo ut pavimentum etiam cruore conspergeret, præsertim antequam sacrum celebraret, præmittendo sacrificium Deo gratum, nempe spiritum per pœnitentiam contribulatum. Quapropter etiam cilicio ultra viginti annos usque ad mortem absque indusio corpus afflixit, nunquam carnem comedit, raroque pisces, et leguminibus ut plurimum vescebatur, aquæ potum adhibendo, quousque ad stomachi imbecillitatem alio etiam potu uti coactus fuit; super nuda terra sæpe cubabat et nudipes hieme in frigidissima illa regione incedebat. Ita affirmant testes 15, 61, 68, 71 et 72, qui addit etiam, antequam procederet ad sacramentales confessiones excipiendas, consuevisse flagello se verberare.

Virgini Deiparæ sese totum devoverat, cui nedum aras erigi, festivitatesque solemniter celebrari curavit, sed et semetipsum exactissimum castitatis observatorem instar templi exhibuit, ut dicunt testes 59 et 73. Pauperes adeo fovit ut eorum veluti parens haberetur; numquam eos dimisit afflictos, et jubebat aliquando tot erogari eleemosynas, ut nihil relinqueretur in penu; iisque ægrotis in nosocomiis jacentibus omnia exhibebat charitatis officia, lectum construens, cibum ministrans, pedes deosculans et mundans; quos et sermone salutari et spiritu lenitatis consolabatur, ut deponunt testes 15, 16, 61 et 64 qui fuit dispensator eleemosynarum archiepiscopi, et ait, cum olim pauperæ viduæ nihil erogandum superesset, jussisse pallium episcopale oppignorari; testes 69 et 71, addentes, consuevisse dare eleemosynam rusticis et aliis mendicis post confessionem sacramentalem apud se expeditam, quo ad sacramenta illos alliceret; 94, inquiens, vel inimicis fuisse amicissimum; 97, qui dicit archiepiscopo delatam sibi annuam eleemosynam

per palatinum Vitebscensem, illam nec tangendo pauperibus in xenodochiis, carceribus aliisque piis locis totam distribuere consuevisse. Cathedralem Polocensem ecclesiam plurium millium sumptu absolvit et fere a fundamentis restauravit, ac monialium S. Basilii Polociæ monasterium erexit, ut aiunt testes 9, 66, 68 et 71. In consanguineos vero adeo continens et parcus fuit, ut aliquando pro datis alteri eorum quadraginta florenis doluerit, quod in pauperes potius non distribuisset, ut deponit testis decimus quintus.

Jura ecclesiarum, nec non episcopalem jurisdictionem vehementer tutatus est, bonaque ecclesiastica a secularibus usurpata vindicavit, ùt asserunt testes 7 qui est supremus judex Polociæ, 68 qui est archiepiscopus Polocensis, 71 et 108 qui subdunt, olim archiepiscopo Josaphat oblata fuisse a schismaticis triginta circiter millia florenorum, ut sineret præfici regimini ecclesiarum presbyteros schismaticos; quam sacrilegam impiorum petitionem risit archiepiscopus, inquiens, animarum salute, non pecunia sibi opus esse, et donum Spiritus sancti vendi non debere.

Maximus fuit evangelicæ veritatis et unitatis, ac primatus Romanæ catholicæ Ecclesiæ propugnator ac præco, et in reprimenda hæreticorum et schismaticorum perfidia, qui summum præsertim Romanum Pontificem et potestatis ejus plenitudinem audacioribus urgebant calumniis et probris, in cœlum ponentes os suum, et Christum Dominum dilacerantes, atque in eorum conversione et aggregatione ad unitatem catholicam egregiam navavit operam. Unde et in hanc causam sæpissime concionabatur, et assidue disputabat pro unione, ad quam schismaticos post disputationes blandis etiam verbis et libris catholicis eisdem distributis, revocare

studebat, in conviviis et in privatis allocutionibus totus in hac unitate Ecclesiæ et primatu Sedis apostolicæ. In quo toto tempore, quo archiepiscopatum rexit, vere universa ejus desudavit industria, ut deponunt testes 7 et 30 aiens, olim archiepiscopo pro unione disceptanti schismaticos suasisse, ut ille recognosceret patriarcham, quo facilius eos ad se traheret, quibus respondit : *Recognoscat patriarcha papam, et ego recognoscam patriarcham ;* et iisdem ipsi mortem minitantibus subdidisse : *pro Christo mundo moriar ;* 32, 57, 69 qui est episcopus Methonensis, 72, 101 et 106, qui duo postremi advertunt, aliquando archiepiscopum ostendisse ex ipsis schismaticorum slavonicorum libris comprobari, Ruthenos antea solitos reddere obedientiam Romano Pontifici.

Ex qua assidua antistitis opera, Deo bene juvante, factum est, ut in triennio, quo archepiscopatum rexit Polociæ, quæ antea grassabatur schismatis lues, pro majore parte extincta fuerit ; et cum creatus archiepiscopus paucos Polociæ invenisset fideles, tempore mortis pauciores reliquerit infideles, ut dictum fuit de S. Gregorio thaumaturgo, Neocæsareæ episcopo. Ita deponunt sex testes in *Processu Polocensi*, nempe 29 et 31, proconsules Polociæ, et 43, necnon 63 et 70, alter decanus Bychoviensis, alter archidiaconus Albæ Russiæ, atque etiam 71. Qui omnes, excepto 70, testantur se ab hæresi et schismate ad fidem Christi et catholicam unionem opera ipsius Josaphati conversos fuisse; et 63 testis exprimit nomina quatuor aliorum industria ejusdem archiepiscopi reductorum ad sanctam Sedem ; additque 29 testis, cum ad ecclesiam accederet, antistitem in porticum prodiisse, et manu ejus apprehensa, dulcissime collacrymatum fuisse exclamando : *Deus, ecce errantem inveni ovem, tibi eam commendo ;* 71 vero testis subdit,

tot per servum Dei conversos fuisse ad fidem catholicam, quot modo sunt uniti Polociæ : quod idem affirmat 2 testis, sacerdos ruthenus, in *Processu Urbis* juxta 6 (fol. 13) et 73 testis ait, quod multa millia animarum suis concionibus, disputationibus et industria convertit ad catholicam religionem.

Et ex catholicæ fidei incrementis maxime afflictabatur humanæ salutis hostis, efferataque ejus rabies effervescebat agnoscens, Josaphatum quam brevi dominium possessionemque animarum omnium Christo propagaturum fuisse atque hæresim universam ejecturum. Unde homines nefarios excitavit, ut, facta conspiratione, ad necem quærerent Christi famulum et fortissimum pro fide bellatorem, atque, ut ipsi vocabant, *animarum prædonem*, interimerent. Quod impium facinus per tres vices moliri ausi sunt Vitebsci : nempe sub die 6 augusti 1621, dum sacra operaretur; in die Pentecostes anno 1622, dum optimus præsul piorum christifidelium agmen seu processionem institueret; et de anno 1622, mense aprili in prætorio, dum publice legeretur privilegium a regia majestate Poloniæ Josaphato archiepiscopo concessum, in quo professio fidei ejusdem in catholica universitate adstruebatur, ut narrant plures testes infra, cum de probatione hujusmodi seditionum agetur, recensendi. Sed tandem, anno 1623 die 12 novembris, scelesti schismatici, adjuvante quodam Smotriscio pseudo-archiepiscopo Polocensi, excitato ex industria tumultu, atque impetu facto in ædes archiepiscopales, post familiarium cædem totiusque supellectilis eversionem, capite archiepiscopi securi disjecto, sacrilegium parricidii scelus immanissime perfecerunt, ut deponunt quatuor oculati testes in *Processu Polocensi*, nempe 108, nobilis Polocensis, et 61 qui ambo fuerunt familiares præsulis Josaphati, comites pas-

sionis et vulnerati ab iisdem parricidis schismaticis, et 93 testis, honesta matrona, quæ e vestibulo templi B. Mariæ vidit, quando servus Dei in aream curiæ suæ extractus occidebatur, et 11 testis actor deputatus ab archiepiscopo contra schismaticos testatus est, se statim, audita servi Dei morte, venisse Vitebscum, corpus propriis manibus in tumbam composuisse, sanguine ex vulneribus adhuc defluente, idemque per flumen Dunam advexisse Polociam, ut in *Processu urbis.* Testis 2, sacerdos ruthenus, de auditu a fratre suo germano, qui interfuit trucidationi, et vulneribus male habitus fuit, exactissime narrat hanc historiam mortis archiepiscopi Josaphati. Post quam truculentam antistitis occisionem, sævientes adhuc in exanime corpus schismatici, illud per aream domus episcopalis et per civitatem Vitebscensem raptarunt fune ligatum et solo cilicio tectum, ignominiis et proculcationi sacrilegæ plebis omnis sexus omnisque ætatis exposuerunt et demum ad ripam fluminis Duna protractum ex altiori loco præceps dederunt, et postmodum infeliciter demerserunt, ubi jacuit per sex dies, ut deponunt testes 10, 83 et 84 et omnes Vitebscenses, atque alii schismatici in testimonio, clara et elata voce super hoc unanimiter dato, relato in *Processu Polocensi* (fol. 76, 77 et 79) et ipsi commissarii apostolici affirmarunt in processu (fol. 85), dum loca omnia sanguine Josaphat sparsa vel miraculis clara, crucibus vel aliis signis distinxerunt, nec non episcopus Nolanus, tunc Poloniæ nuntius, et archiepiscopus metropolitanus totius Russiæ enarrant in litteris usque de anno 1623 ad Sanctitatem Vestram datis. Quam schismaticorum sævitiem vel ipsi hostes archiepiscopi, seu potius catholicæ fidei, detestati sunt, ac ingemuerunt maledicentes sicariis et sanguinem innocentis præsulis super illos inclamantes, et de-

mum etiam ipsi parricidæ atque universus populus Vitebscensis publica facinoris confessione ac veniæ petitione deplorarunt; suntque etiam fere omnes parricidæ schismatici, antequam capite plecterentur, ad salutem animæ revocati, ut habetur in *Processu* (fol. 85) et deponunt testes 63 et 68.

Igitur de perfecto hujus servi Dei martyrio plene et concludenter constare asserunt agentes pro venerabili Josaphato : probatio siquidem mortis deducitur ex depositione dictorum trium testium oculatorum 61, 93 et 108, qui utique sufficiunt. Imo diu etiam firmatum fuit in Relatione S. Francisci de Paula, § *Videndum*, in Relatione S. Hyacinthi (fol. 51 vers.) *Superioribus annis* et in aliis, quod sufficit etiam unus testis de certa scientia cum duobus de publica voce et fama, junctis aliis testibus de auditu a personis quæ mortem viderunt, quorum multi sunt in processu, et sceleris patratores id fassi fuerunt, et publico supplicio pœnas luerunt, circa quam probationem placuit etiam hic recensere integram depositionem testis 108, socii passionis servi Dei Josaphati, seriem facti diligenter referentis.

Interim, inquit, *schismatici occupata jam per vim tota curia archiepiscopali, cæsis omnibus famulis, totam diripiebant supellectilem. Auditis his clamoribus, antistes procedit e camera, et, clausis ipse foribus, sacratissimæ crucis signavit effigiem; mea sinistra parte illi*, inquit testis, *adstante, pro more suo dulcissime hostes allocutus fuit :* Filioli, quare famulos meos cæditis? Si aliquid contra me habetis, ecce adsum. *Tunc ex opposita camera eruperunt duo, et ut servum Dei stantem viderunt, alter servo Dei stringente in modum crucis ad pectus manus fuste caput petiit, securi divisit alter; prostratum vero quotquot in atrio fuerunt omni telorum genere confodiebant et contundebant. Elevata tamen*

servus Dei manu inter media vulnera exclamavit : O Deus meus! *ibique globis sclopetariis caput sacrum trajiciunt et iterum fustibus cædunt. Cumque corpus vestibus exuissent et cilicio indutum conspexissent, ex hoc suspicati, quod occisus fuisset alius, et non archiepiscopus, totam domum perquirere cœperunt, ut archiepiscopum invenirent, donec ex teste ipso, quem ad corpus recognoscendum adduxerunt, certiores facti fuerunt, vere archiepiscopum ipsum, et non alium, fuisse occisum.*

Cum qua depositione ad amussim concordat secundus testis in *Processu urbis* de auditu a fratre germano teste ibidem de visu ; et 61 testis in eodem *Processu Polocensi* comes itidem passionis Josaphati, qui subdit, se, dum servus Dei occideretur, positum fuisse in terram, fustibus cæsum vulneribusque affectum in area domus et in cœmeterio, asserens : *Ipsam meam vitam miraculum censeo ; scio enim me ita cæsum fuisse, ut naturaliter neque minima particula carnis ossiumque manere integra posset. Testatur vestis mea, hoc caput meum cicatricibus plenissimum ; et quod maxime rem auget præsentem , cùm ante hæc verbera multis distinerer valetudinis incommoditatibus, nunc Dei gratia optime valeo, ut ab obitu servi Dei nullo modo vexatus fuerim, nisi quod sanguinem interdum spuam : hoc tamen sine ullo dolore et valetudinis detrimento.* Addens paulo post : *Ipso die mortis servi Dei, cum jam schismatici curiam archiepiscopalem invasissent, familiares archiepiscopi defensionem parabant, sed servus Dei prohibuit omnino, ne vel vulnerarent aliquem ex parricidis, vel globo trajicerent. Et hoc fuit in causa, quod schismatici, viribus sumptis, ardentius instíterint, portam curiæ fregerint, domum occupaverint, ac me et D. Emmanuelem Cantacuzenum cum tota familia cæciderint ; nullus tamen ex nobis mortuus est : quod quidem servus Dei in vita prædixisse mihi videtur, cum sæ-*

pius nos moneret, ne timeremus nobis, si ille martyrio afficeretur : Non peribit, *inquiens*, ex vobis quisquam.

Voluntarie autem per servum Dei et absque ulla resistentia mortem acceptatam fuisse, plene probari dicebatur ex iisdem testibus 108 et 161, necnon 2 in *Processu urbis* in illis verbis : *Antistes pro more suo dulcissime hostes allocutus est : filioli, quare famulos meos cæditis? Si aliquid contra me habetis, ecce adsum ;* et aliis paulo ante recensitis verbis testis 61 : *Cum jam schismatici curiam archiepiscopalem,* etc. ; unde colligitur, piissimum præsulem prompte adeo et libenter sanguinem suum tradidisse, ut eo grassantem schismaticorum luem extingueret, instar ovis occisionis coram deglabrante non aperientis os suum. Et acceptatio prædicta deducitur etiam ex antecedenti desiderio martyrii, quo ardentissime flagrabat servus Dei, super quo deponunt testes 9, 15, 27, 61, 69, 71 et 108 in *Processu Polocensi* asserentes, archiepiscopum quodammodo mortem suam prædixisse his verbis : *Ego discedo Vitebscum pro martyrio ;* et ab amicis monitum, ne illuc proficisceretur, quia schismatici erant illum interfecturi, a proposito visitationis episcopalis munere desistere noluisse, et aliquando dixisse, se optare mori, cum ecclesia cathedralis fuerit reparata, prout post reparationem contigit ; familiariaque et creberrima verba fuisse in ore illius, dum a schismaticis persecutionem pateretur : *Utinam sanguinem meum pro Domino meo fundere possim! cupio dissolvi et esse cum Christo ; non possum melius mori, quam pro veritate sancta : faxit Dominus meus, ut sim dignus sanguinis effusione.* Atque aliquando in concione ad illa verba : *Omnis qui vos occiderit,* etc., dixisse ad populum : *Vos mihi minitamini mortem, et ego vobis dico, non essem felicior, quam si per manus vestras pro fide catholica occiderer. Scitote ergo, me paratissimum esse ad moriendum pro veritate.*

Quibus charitatis et fortitudinis stimulis non tam semet ad martyrii coronam excitabat, quam lacesseret, suppliciique moras vehementer increparet, se ad certum exhibendo paratum. Servatoris exemplum secutus: qui, cum per atram noctem minime videretur, se Judæis manifestavit, prout S. Basilius his verbis S. Gordium martyrem luculenta oratione celebrat, et simili præconio S. Gregorius Nazianzen. orat. 3. commendat martyrium Marci episcopi Arethusii, voluntarii Christi athletæ. Et sanctissimos antistites Ambrosium et Thomam Cantuariensem imitatus est, qui pro defensione jurium Ecclesiæ et catholicæ fidei sanguinis proprii effusionem sitiebant, ut ex tabulis gestorum eorumdem compertum est, et annotatum fuit in Relatione S. Caroli, in argum. 11. ad finem; necnon et exempla tot martyrum, qui sopitorum veluti canum, hoc est, fidei hostium aures vellentes non extimuerunt in arenam prodire, ut martyrii gloriam consummarent, complentes dictum illud : *Justus, ut leo, confidenter agit.*

Causam vero mortis (quæ est tertium requisitum martyris) fuisse catholicæ fidei ac S. Romanæ Ecclesiæ et Petri primatus defensionem deducebatur ex pluribus : nempe, quia decem et quatuor testes singillatim recensendi super hoc signanter deponunt, comprobantes odium ingens schismaticorum in servum Dei, eo quia catholicæ unitatis et veritatis propugnator esset, et schismatis insectator, adeo ut ter conspiraverint in ejus necem; et post mortem archiepiscopi plurima a schismaticis data fuerunt signa lætitiæ et contemptus ac contumeliæ in sacrum antistitis cadaver; communisque fama et reputatio illarum partium, quod hæc fuerit causa mortis, adstipulatur per testes in *Processu Polocensi*. Qui unanimiter affirmant, nulla alia de causa fuisse occisum Josaphat archiepiscopum, quam pro obedientia summi

Romani Pontificis, pro defensione primatus S. Petri et Sedis Apostolicæ, pro fide catholica et sancta unione. Suntque: supremus Polocensis palatinatus judex asserens, quod nullam aliam causam in eo inveniebant hostes; 59 hegumenus monasterii Cerciensis, ordinis S. Basilii, a defuncto præsule in religionem receptus; 61, fidus comes passionis Josaphati, inquiens cum lacrymis et singultu : *Denique vivus ipse testis sum, et sanguine etiam proprio testor, servum Dei pro fide catholica ac S. R. E. et Petri primatu mortem opetiisse;* 55 testis, sacerdos, rector collegii Polocensis, Societatis Jesu, qui nedum fidei defensionem causam mortis fuisse adstruit, sed et vitam Josaphat vere fuisse conformem vitæ sanctorum, ipsumque virtutum omnium speculum exstitisse, et enituisse tanquam solem in tenebris schismaticorum, luculenter testatur; 65, itidem sacerdos Societatis Jesu, collegii ejusdem vicarius; 68, archiepiscopus Polocensis; 69, qui est episcopus Methonensis, dicens pro primatu Petri interfectum, quod etiam asserit episcopus Haliciensis, qui etiam recensetur in *Processu* pro teste 69. Cum quibus concordat 70, archidiaconus Albæ Russiæ; 71, hegumenus monasterii Polocensis ordinis S. Basilii, qui fuit comes Josaphati in multis itineribus; 72, hegumenus pariter monasterii Mohiloviensis ejusdem ordinis S. Basilii, asserens, denique causam mortis illius nullam aliam fuisse præter defensionem fidei catholicæ et obedientiam Romano Pontifici; 90, qui asserit, schismaticos sibi etiam et aliis mortem minitatos esse, quia Josaphatum amarent et colerent, et eumdem pro fide catholica romana et apostolica ac primatu S. Petri et Sedis Apostolicæ interfectum fuisse; 94, 100 et 108, socius in passione; 109, judex castri Vitebscensis, qui ait, se pluries interrogasse schismaticos, quid esset in causa tumul-

tuum quos excitant in archiepiscopum, et passim respondisse : quia papam recognoscit et nos papistas efficere conatur; subdens in fine : *Hunc servum Dei agnosco in martyrem, tanquam pro fide et primatu S. Petri interfectum;* et 114 testis dicens, nullam causam mortis in illo fuisse, quam quod fuerit cum S. R. E. unitus. Additque prædictis testis 61, hac de causa schismaticos insidias sæpius struxisse : *cæde*, *occide*, *latinum*, *hæreticum*, *papistam* clamitasse; et 71 testis, qui fuit confessarius optimi antistitis et tanquam conscientiæ illius ignarus, non nisi pro primatu Sedis Apostolicæ et Ecclesiæ Catholicæ, quod adeo cupiebat, sanguinem fudisse. Quæ etiam confirmat totius Russiæ metropolita, inquiens, nullum in regno Poloniæ reperiri, qui contrarium dicat; iisdemque cohæret etiam depositio 1 et 2 testium in *Processu urbis*, quorum alter est episcopus Nolanus, olim in Polonia Nuntius, affirmans, ipso instante, post causam legitimis probationibus instructam capitali morte meritas de parricidis sumptas fuisse pœnas ob patratum facinus necis archiepiscopi ex causa catholicæ religionis illatæ; alter vero frater famuli archiepiscopi addit, unum ex schismaticis parricidis in carceribus constitutum, interrogatum ab ipso teste de causa mortis Josaphati antistitis respondisse; non nisi pro fide catholica et unione interfectum fuisse.

Quod idem multi etiam catholicæ fidei hostes, judæi et hæretici testati sunt : nempe 79, 80, judæi, 83, 99, 113, calvinistæ, et 85 anabaptista, quorum depositio in favorem fidei admittenda decernitur per Alexandrum IV. Testimonium enim inimici non in favorem inimici rejicitur, sed majorem habet veritatis præsumptionem.

Odium atrox schismaticorum in optimum præsulem et minas mortis, necnon insidias et conspirationes in-

structas in odium fidei et unionis catholicæ per Josaphat professæ probare videntur testes quamplures in processu.

De odio quidem deponunt testes in *Processu Polocensi* 32, consul Polocensis, 70, 71, 90, 91, 107, quorum 71 ait, se fuisse id expertum descendentem cum archiepiscopo, quos schismatici lapidibus impetentes clamabant : *Occide, submerge, fidem nostram sublaturi veniunt*, aliisque modis et injuriis insectabantur ; et testes 31 et 71 narrant, consuevisse schismaticos maledicere antistiti, vocando illum animarum prædonem et raptorem, quod ansam illi præbuit olim respondendi : *Faxit Dominus Deus, ut animas vestras rapiam et in cœlum deducam* : cui schismaticus : *Strangulaberis*. Subdidit etiam, aliquando archiepiscopum per schismaticos depictum fuisse sub dæmonis persona peracutis uncis animas ad inferos trahentem, addita superscriptione idiomate rutheno *duszochvat*, hoc est *animarum prædo*. Et, quod auget odii probationem, ipsorum schismaticorum conjuratorum contra Josaphatum facta fuit descriptio, et singuli solverunt tres grossos polonicos, ut in albo abominabilis conspirationis describerentur, ut signanter dicit testis 10, in *Processu Polocensi*.

De minis mortis illatis archiepiscopo, nisi destitisset ab unione promovenda, deponunt in *Processu Polocensi* testes 18, olim familiaris Josaphat de auditu ab ipsis schismaticis, dolentibus se non occidisse illum ante annum 1623 ; et 71 ac 79 qui ait, dixisse olim archiepiscopum : *Scio, quod me velint occidere, sed et sanctos patres pro veritate occisos esse scio.*

De insidiis, tumultibus et seditionibus, sæpe sæpius per schismaticos contra servum Dei excitatis, constare videtur ex depositione plurium testium.

Primo, sub die 6 augusti 1621, in ecclesia collegiata Vitebscensi, sacra operaturus a schismaticis tanto impetu

percussus fuit servus Dei, ut parum abfuerit quin occideretur : ita deponunt tres oculati testes, 61, famulus archiepiscopi, 103 et 106; et 61 addit, tunc per schismaticos confessarium archiepiscopi et œconomum seque ipsum fustibus male habitos fuisse.

Secundo de anno 1622, postquam schismatici antistitem, in die Pentecostes processionem fidelium instituentem, pluribus affecerunt contumeliis, latere illum impetierunt, progressum ulterius excitato tumultu impediverunt, ut de visu testantur dicti 61 et 107 testes; atque alias, sacrum archiepiscopo celebrante, diaconum ministrantem sacrumque panem ad altare deferentem colaphis percusserunt, adeo ut oblata in terram dimiserit, ut idemmet diaconus, qui est testis 61 affirmat. Demum et eumdem archiepiscopum per insidias trucidare et præcipitem, ponte altissimo, in fluvium dare cogitarunt, et in prætorio Vitebscensi, conjectis insimul pileis (in signum conjurationis) arreptisque armis, necem, jamjam servo Dei intentarunt inclamantes, archiepiscopum jam latinizare, ut asserunt testes 61, 82, 103 et alii; de quibus insidiis monuisse antistitem, ait testis 101, a quo et gratias recepit et responsum illud : *Non timeo mortem; faxit Deus, ut sim tam felix, ut coronam merear martyrii.*

Tertio, de anno 1622, mense aprili, cum servus Dei in prætorio convocatis civibus Polocensibus palam legi fecisset privilegium sibi a regia majestate Poloniæ pro archiepiscopatu collatum, in qua protestabatur se esse et fore usque ad mortem in unione S. R. E.; statim, facto tumultu, proclamarunt, se non esse unitos, neque illum in suum pastorem agnoscere, adeo ut pauci catholici, qui aderant, in maximo vitæ periculo fuerint, et ipse archiepiscopus vix mortem evaserit. Ita deponunt

tres oculati testes in *Processu Polocensi*, nempe 10, qui est vicepraetor, 11, vicenotarius et 106; quorum 10 ait, tunc etiam schismaticos in vitam servi Dei duas feminas instruxisse, ut eum e praetorio discedentem cultris confoderent; 11 ait, ab hujus seditionis tempore schismaticos semper conjurasse in mortem antistitis, et conjurationem, postremo effectu sortitam Vitebsci, multo ante perficiendam fuisse Polociæ, sed Dominum Deum misericordia sua avertisse hoc malum ab illa civitate. Testis 106 subdit, in prætorio auditum fuisse schismaticorum clamorem : *Hic fidem nostram destruit, occidamus eum;* et similia verba testatur se publice audivisse testis secundus in *Processu urbis*, juxta 13, dum comitabatur archiepiscopum in visitatione diœceseos, addens quod multo ante schismatici interfecissent antistitem, nisi metu regiæ potestatis aversi fuissent a scelesto facinore, quod deinde perpetrarunt Vitebsci, dum nullus ibi aderat minister regius.

De sævitia et contumaci odio schismaticorum etiam post mortem in venerabilis viri cadaver testantur de visu testes 32 consul, 33 notarius et 93 honesta matrona, asserentes, viros, pueros, feminas ex omni ætate pedibus caput calcasse, barbæ et capitis capillos evulsisse, exspuisse in faciem aliisque ignominiis affecisse; et 32 exprimit, quod schismatici mortuum elevarunt et jam erectum ita alloquebantur : *Numquid non dies dominicus est hodie? Concionari te oportet, archiepiscope;* sicque aliquantulum servum Dei irridentes postea eumdem ad terram alliserunt. Testis 33 addit, feminam servi Dei barbam vellentem visu privatam fuisse, et adhuc superstitem esse, ac cæcitatem suam ex prædicta causa ortam, cum lacrymis scelus suum deflendo, confiteri. Quam ultionem sæpe Deus adversus martyrum contemptores ostendere consuevit, ut notant Tertull. *lib. ad Scapulam*,

cap. 3, S. Joannes Chrysostomus, *lib. contra Gentil. de Babylæ gestis*, et S. Paulinus, *epist.* 2. *ad Victricium*, exclamans : *O Christi ineffabilis bonitas, quantum in suos ostendit affectum! injuriam confessoris sui non tulit impunitam, qui suis crucifixoribus rogavit ignosci. Contumeliam martyris statim ultus est, qui passionem suam noluit vindicare*.

Ex quibus omnibus de legitima martyrii causa, hoc est, fidei Christi, necnon Sedis apostolicæ et catholicæ fidei defensione, constare existimabant ac tuebantur patroni causæ pro Josaphato, præsertim quia hujus veritati aliunde petita consonare videntur testimonia et adminicula et probationes, quæ, si per se non sufficerent, debent conjungi ad hoc, ut plena probatio ex illis colligatur.

Fama nimirum illius martyrii et communis opinio et reputatio omnium, qui servum Dei tanquam Christi martyrem venerantur, de qua deponunt decem testes in *Processu Polocensi*, nempe 59, 68, 69, 71, 72, 77, 103 et 109 et duo testes hic in urbe examinati, atque universus populus polocensis unanimi voce affirmavit, servum Dei pro fide catholica, pro primatu S. Petri et obedientia Summi Pontificis, pro unione Ecclesiæ Græcæ cum sancta Romana Ecclesia et amore salutis animarum occisum fuisse; atque archiepiscopus Polocensis cum toto suo clero et episcopatu clara et elata voce, adstantibus et acclamantibus suis, servum Dei in suum et totius archiepiscopatus patronum sumpsit pro canonizatione supplicans; quod idem præstiterunt clara itidem et elata voce episcopus Haliciensis, coadjutor metropolitæ Kioviensis, nomine metropolitæ, ac pro tota metropoli Russiæ; rector collegii Soc. Jesu Polocensis pro toto collegio, necnon magistratus palatinatus castri et civitatis

Polocensis, ut habetur in *Processu Polocensi* (fol. 70). Quæ fama et constans totius populi testimonium in canonizatione Sanctorum plurimi semper facta fuit, et bene animadversum et probatum fuit in *Relatione B. Thomæ de Villanova*, cap. *de fama sanctitatis*. Imo fama in facto recenti per testes legitime probata facit semiplenam, in antiquis vero plenam et concludentem probationem, præsertim junctis adminiculis, ut tradunt canonistæ in *cap. I de reliqu. et venerat. Sanctorum* et dixit Simonetti in *Relatione S. Francisci de Paula*, fol. 31, etc.; in *Relatione S. Hyacinthi*, cap. 2, fol. 24, etc.; in *Relatione B. Petri de Alcantara*, part. 3, in primo et secundo miraculo.

Testimonium synodi provinciæ Gneznensis, habitæ anno 1628, die 22 maii, præsentibus totius regni Poloniæ episcopis et eorum vicariis, ubi Josaphat, a schismaticis pro religione catholica interemptum, patronum regni nuncupat, et sanctitatem Vestram supplicat, ut dignetur in Sanctorum numerum referre.

Tot epistolæ episcoporum ruthenorum transmissæ reverendissimis cardinalibus sanctæ Congregationis de propaganda fide, necnon inclytæ memoriæ Sigismundi III, Poloniæ regis, et serenissimæ Constantiæ, Poloniæ reginæ, serenissimi Vladislai, tunc principis, modo regis feliciter regnantis, D. Leonis Sapieha, palatini Vilnensis, D. Francisci Skumin Tyszkievicz, palatini Trocensis, D. Alberti Stanislai Radzivil, sacri Romani imperii principis, supremi cancellarii Magni Ducatus Lithuaniæ, atque etiam epistolæ totius palatinatus Polocensis et Vitebscensis, archiepiscopi metropolitæ totius Russiæ et episcoporum Vilnensis et Methonensis atque commissariorum apostolicorum directæ Sanctitati Vestræ, et aliæ Reverendissimis DD. Cardinalibus Francisco et Antonio Barberinis, nepotibus S. V. transmissæ, eorum zelum

pro causa optimi præsulis advocantes; in quibus asseritur, servum Dei ob singularem in propaganda tuendaque orthodoxa fide constantiam ac fervorem gloriosa morte occubuisse et suffragia luculenta martyrii ejus præstantur gaudio expresso, Ecclesiam Ruthenam diu sterilem novi martyris sanguine irrigatam esse, atque ad hanc S. Sedem fluentum ejus sanguinis transmitti, et pretiosam mortem fortissimi athletæ extollunt ea solum de causa, quia cathedram Petri impense colebat, constanter profitebatur, et alios ad eam verbo et opere manuducebat; multaque ibi referuntur miranda et glorioso martyri cultus et veneratio supplicatur, et prope jure suo exigitur, in quo vota totius regni Poloniæ conspirare constanter asseveratur. In quibus epistolis, attestationibus et precibus piissimorum principum, antistitum et populorum multum momenti positum est ad probandum martyrium et causam martyrii.

Frequens fidelium devotio ad venerationem sepulcri hujus servi Dei tanquam martyris et reliquiarum ejus cultus, de quibus præcitati testes loquuntur, et signanter 11, 53 et 59, quod sanctitatis et veritatis martyrii indicium est, et veteri Ecclesiæ consuetudine receptum ex D. Augustino, *De civit. Dei*, l. 22, cap 8, Theodoreto, l. 8 *De curat. Græc. affect.* circa finem, et fuit dictum in *Relatione* S. Raymundi, etc. Atque etiam votivæ tabellæ ad sepulcrum servi Dei appensæ, de quibus ex visitatione relata in *Processu* (fol. 69, ad finem) insignia sunt sanctitatis præstantia, illum, in cujus honorem dedicantur, virum esse Deo gratum; mosque fuit antiquus in ecclesia suspendendi has tabellas, beneficia accepta testantes, ut docet D. Augustinus, *De civit. Dei, lib.* 22, *cap.* 8, et fuit dictum in *Relatione S. Hyacinthi, de miraculis*, pag. 28.

Demum præmissis adstipulatur integritas corporis, quod constat spatio quinque annorum incorruptum, cute ossibus superextensa, conservatum fuisse, membraque etiam tractabilia, et tamquam viventis flecti, ut ex visitatione facta per judices remissoriales in *Processu Polocensi* (fol. 68) constat. Quam incorruptionem et flexibilitatem sanctitatis indicium esse, compertum est ex traditis per D. Augustinum (*Confess.* lib. IV, cap. 11) et fuit dictum *in Relatione B. Paschalis Baylon in 3 miraculo, in Relatione S. Teresiæ* in tit. *de exhumatione corporis* ad finem, *in Relatione S. Francisci Xaverii in primo miraculo post mortem, et in Relatione S. Isidori in primo miraculo post mortem.*

Circa quam incorruptionem aliqua mira per visitatores apostolicos observata fuerunt. Primo, quod vestitus corporis sericus, minus putrefactioni obnoxius quam corpus, inventus fuerit totus putridus. Secundo, quod schismatici, visa integritate corporis, non sine lacrymis peccatum suum detestati sint, et se futuros fideles unitissimos, conclamarint. Tertio, quod idem corpus fuerat per sex dies sub altissimis aquis ulnarum 15 submersum, et ab altiori loco præcipitatum, ut dicunt testes 10, 83 et 84, atque in loco humidissimo reconditum, ut dicunt in visitatione, et tamen integrum atque incorruptum inventum fuit, non citra adstantium, cleri nempe utriusque ritus, magistratus et fere totius populi admiratione, miraculum id esse testantium. Nec non accedunt alia mirabilia signa, quæ post mortem hujus servi Dei acciderunt in sequenti parte recensenda.

Unde his simul junctis cum probationibus, eo facilius ab agentibus pro antistite Josaphato asserebatur, de illius martyrio et causa martyrii satis constare.

Defensionem autem fidei esse germanam et legitimam

martyrii causam, exploratum est ex traditis supra in 2 *parte de martyrio*, et signanter martyrium pro unitate servanda et pro reductione schismaticorum ad matris Ecclesiæ sinum Deo gratissimum esse, gravissime confirmat Dionysius apud Euseb. l. 6 *Histor.* cap. 37, ubi ait: *Oportere omnia incommoda pati potius, quam Ecclesiæ discidisse concordiam;* et sapientissime docuit S. Cyprianus, magnus unitatis præco et schismatis insectator, ut observat P. Raynaud *in tract. de martyrio per pestem* 4, § *Schismati martyrium vanum*, et sequitur Baronius, *in Annot. ad martyrologium ad diem* 19 *julii,* ubi multum extollit martyrium ob unitatem servandam, et illud plus habere commendationis, quam quod suscipitur, ne idolis immoletur, et monet, inter celebres martyres adnumeratos fuisse eos, qui adhærentes S. Joanni Chrysostomo tunc exulanti, occisi sunt Constantinopoli, cum nollent communicare cum Arsacio intruso atque schismatico, quorum dies natalis agitur die 12 januarii.

Cæterum probationes superius allatæ per Reverendum fidei promotorem pluribus impugnabantur objectis.

Quod enim ad factum occisionis, primo opponebatur, neminem ex testibus interfuisse in loco Vitebsci, tempore mortis archiepiscopi Josaphati; secundo, neminem sufficientem rationem reddere dicti sui.

Quod vero ad causam martyri, objiciebatur primo, duos tantum testes hic in urbe examinatos, nempe secundum in *primo processu* et tertium in *secundo processu*, deponere de confessione unius ex parricidis asserentis, solum ex causa fidei per illos illatam fuisse mortem archiepiscopo, sed non esse contestes circa personam. Secundo, non reddere sufficientem dicti rationem. Tertio, alios testes esse singulares. Quarto, testes de publica voce et fama non bene illam concludere.

Quibus objectis satisfecisse putabant, qui causam martyrii instruebant pro archiepiscopo, infrascriptis responsionibus.

Ad primum, circa factum mortis dicebatur, immo 61 et 108 testes interfuisse Vitebsci occisioni archiepiscopi, et ipsos testes vulneratos etiam fuisse, et 93 fuisse pariter præsentem, asserentem se vidisse, dum præsul occidebatur, juncta depositione 2 testis in *novissimo processu urbis,* testificantis de auditu a fratre, qui interfuit et comes fuit passionis archiepiscopi, nec non publica voce et fama, supplicio publice sumpto de parricidis schismaticis, attestatione regis Poloniæ aliorumque principum in epistolis datis ad Sanctitatem Vestram, et aliis pluribus argumentis, quibus a causæ patronis supra adstruebatur veritas istius facti § *Igitur de martyrio*; quibus additum fuit, 83 testem fuisse præsentem, qui ait occisum fuisse, ipso teste eminentiore loco tragœdiam (sunt verba testis) spectante, et conscientia ipsum torquente, quamvis esset calvinista; et testem 85, pariter hæreticum, qui vidit schismaticos impetum facientes pro occidendo archiepiscopo, et deinde ipsum occisum. Quibus consonat etiam testis 80 judæus, qui deponit se cum aliis judæis, dum servi Dei vidit ignominiosam mortem, summis prosecutum fuisse lacrymis, et cum schismaticis exprobrasset innocentis mortem, responsum fuisse, ut sileret, ne et sibi mali aliquid fieret. Unde ex his testimoniis circa factum occisionis exsurgere etiam adminiculum, asserebatur *ad l. Qui ultimo,* ff. *de pœn. Marsil. in l.* 1, § *Divus,* ff. *eod. Cephal. cons.* 287, *num.* 31; quo tamen adminiculo nec opus esse, stantibus aliis testibus supra recensitis, quorum nedum duo, sed unus duntaxat de certa scienta cum aliis duobus de publica voce et fama sufficerent, ut supra deducebatur, dicto § *Igitur de*

martyrio. Imo addebatur ab agentibus pro venerabili Josaphat, in casu præsenti ex depositione etiam judæorum et schismaticorum sufficientem resultare probationem, quia in favorem fidei etiam hæretici et judæi admittuntur ad testimonium faciendum, ut rescripsit Alexander IV, in cap. *In favorem fidei*, et cap. *Contra christianos*, *de hæreticis*, in 6, ut supra etiam fuerat animadversum; et hujusmodi testes omnino supplere et probare, junctis testimoniis christianorum et præsumptionibus, consuluerunt Cravett. cons. 73, num. 18 et seq. Osach. decis. 72, num. 5. Afflict. decis. 214, num. 3, et fortasse dici potest: Josaphat erat lux, sed tenebræ illam non comprehenderunt, et in multitudine virtutis suæ mentiti sunt ei inimici sui.

Ad secundum respondebatur: testes, qui fuerunt præsentes iis, quæ facta sunt, et quæ immediate sensu corporis percipiuntur; non teneri dicti sui rationem reddere, alios vero testes de publica voce et fama reddere sufficientem rationem, ut infra dicetur.

Quod vero ad probationem causæ martyrii, ad primum objectum respondebatur, probationem non deduci solum ex illis duobus testibus, imo super teste 1 *processus urbis* nullam constitui posse vim, quippe quod illius validitas non admittebatur, sed substantiam probationis consistere in aliis decem et quatuor, et pluribus testibus singillatim ponderatis, dum supra retulimus Sanctitati Vestræ, quæ deducebantur pro justificanda causa martyrii, § *Causam vero mortis*.

Ad secundum objectum dicebatur, præfatos testes circa causam deponere per bonas rationes, nempe quia sciebant odium atrox, qua schismatici prosequebantur antistitem, conjurationes in eum factas, injurias illatas, minas mortis ex causa unionis cum S. R. E., exultationem post

ejus obitum, sævitiam in ejus corpus habitam, et quia in archiepiscopo nulla alia aderat mortis causa; et ipsi schismatici sæpius fassi fuerunt, se sitisse sanguinem præsulis, tanquam destruentis eorum sectam. Quibus exterioribus argumentis, deductis ex antecedentibus, subsequentibus et concomitantibus, causa occisionis, nempe odium fidei atque unionis cum Romana Ecclesia, desumitur; quippe quod, uti non cadens sub sensum directe et immediate probari non potest. Ratio autem per testem afferenda sat est, si implicite reddatur, et colligatur ipsius depositione.

Tertium objectum, nempe singularitatem testibus oppositam, asserebatur non obstare: tum quia, ubi non agitur de probando certo actu speciali, sed in genere, probandum est id quod resultat ex actibus specialibus, ut in casu præsenti, odium fidei et unionis in schismaticis causam dedisse morti archiepiscopi Josaphat, admittuntur testes singulares deponentes de pluribus actibus particularibus, ex quibus resultat universale, ut fuit dictum *in Relatione B. Thomæ de Villanova, in tit. de virtut. cap. de fide et cap. de charitate in proximum*, *atque in Relatione B. Catharinæ de Ricciis part. l. de proc. in fine, versus Minus etiam* [1]; tum etiam quia testes singulares sufficere ad probandam animi declarationem tradunt Castr. Cravelt., etc.

Ad ultimum respondebatur, famam plene et concludenter esse probatam ex decem testibus recensitis, ubi de illius verificatione actum fuit in § *Fama nimirum*; et reddunt sufficientem rationem dicti, dum ab universo populo Josaphatum reputari martyrem affirmant, juxta tradita

[1] Conf. *De Servor. Dei beatif.* l. III, c. 2, ubi hoc argumentum fuse tractatur.

per *Anan. cons.* 1, *num.* 8, *Alex. cons.* 166, *n.* 9. *lib.* 6, *et in Relatione B. Thomæ de Villanova cap. de fama sanctitatis, in fine;* et in præsenti casu adsunt publicæ acclamationes totius populi certatim confluentis ad asserendam veritatem martyrii piissimi præsulis, ut in *Processu* fol. 72 et 79, et adest vicepalatini Vitebscensis cum universo populo Vitebscensi publica sceleris detestatio ac deploratio uberrima, veniæque ac pœnitentiæ pro tanto facinore humilis supplicatio, ut in eodem *Processu* fol. 85 et de ea deponit etiam testis 68 qui est archiepiscopus Polocensis. Quibus omnibus famam satis esse probatam et cætera objecta sublata, prætendebatur a causæ patronis pro antistite Josaphato.

DE ALIQUIBUS SIGNIS MIRABILIBUS, QUÆ EVENERUNT POST MORTEM SERVI DEI JOSAPHAT.

Quamvis pro canonizatione martyris miracula simpliciter et absolute non exigantur, attamen miraculis magis etiam illustrari martyrium, certum est. Deus enim mira opera faciendo circa sanctorum corpora martyrum, testimonium perhibet sibi non perire quod moritur, et abundantiorem honorem exsanguinibus reliquiis hominum circumponit, ut inquit D. August. *in serm. de S. Vincentio,* et innuit Prudentius, *hymno quinto peristephanon*, et multos martyres miraculorum testimonio effulsisse, liquet

ex tabulis ecclesiasticis et ex martyrologiis, ut animadvertit S. Gregorius Nazianz. *ad Julium.*

Ideo haud incongruum esse existimavimus, breviter referre aliqua miracula, quæ divinam potentiam intercessione servi Dei Josaphat operatam fuisse, enarrant plures testes, ut ex ventilatione processus nos deprehendimus, et a causæ agentibus deducebatur.

A fluxu enim sanguinis quem passus fuerat per duos annos, voto ad servi Dei sepulcrum concepto, se liberatum fuisse, ait testis 50; et ab eodem morbo, quem irremediabilem medici dixerunt, Susannam convaluisse, voto ad servum Dei emisso, testatur 66 testis, pater Susannæ, qui est nuntius deputatus pro fabricando processu. Cujusmodi sanatio miraculo adscripta fuit in *Relatione S. Raymundi, in 6 miraculo.*

Ab ophthalmia et extremo oculorum morbo sanitati se restitutos fuisse, deponunt 12 et 27 testes : ille, voto ad servum Dei concepto, hic tactu cilicii ejusdem. Quam similem sanationem miraculosam esse, dictum fuit in *Relatione S. Franciscæ Romanæ, in 3 miraculo post mortem, in Relatione B. Thomæ de Villanova, in 4 miraculo post mortem, et in Relatione S. Caroli, miraculo quarto post mortem.*

Ab extremo paralysiæ morbo se curatum fuisse intercessione Josaphati profitetur testis 8 et ab eodem morbo statim liberatum fuisse nobilem Polocensem tactu strophioli tincti sanguine servi Dei, narrat testis 53, rector collegii Societatis Jesu ; et de liberatione filii ab eadem infirmitate deponit testis 23. Quam sanitatem citra miraculum reddi non posse, medicorum judicio et dogmatibus resolutum fuit in *Relatione B. Thomæ de Villanova, miraculo septimo post mortem*, et facit Matth. c. 9 et Act. Apost. c. 9.

A lethalibus vulneribus statim ad sanitatem receptos se fuisse, votis ad Josaphat intercessionem conceptis, asserunt testes 18 et 38. Qualis sanatio ad miraculum relata fuit in *Relatione S. Franciscæ Romanæ, in 14 miraculo post mortem, et in Relatione B. Thomæ de Villanova, de miraculo 3 post mortem.*

A contractione manuum et pedum, qua per quatuor annos laboraverat, incontinente convaluisse intercessione archiepiscopi Josaphat, affirmat testis 46; et a claudicatione septem annorum, testis 25. Quæ miracula esse, videtur deduci ex verbis Evangelii : *Cæci vident, claudi ambulant;* et fuit ponderatum in *Relatione S. Franciscæ Romanæ, in miraculo* 5, *S. Caroli, in miraculo* 11 *et* 13, *et S. Catharinæ de Ricciis, in miraculo primo.*

A gravissima febri hectica se restitutum fuisse sanitati intercessione servi Dei asseverat testis 63, rector collegii Societatis Jesu, et a febri pariter se liberatum dicit testis 18. Qualis sanatio pro miraculo adducta fuit *in Relatione S. Franciscæ Romanæ in miraculo* 7, *in Relatione S. Caroli miraculo* 3 *et* 10, *et in Relatione B. Catharinæ de Ricciis, miraculo* 3 *et* 6.

Quæ miracula restitutarum sanitatum quamvis per testes singulares recenseantur et regulariter ad probandum miraculum non sufficiat dictum unius testis, attamen nonnunquam testes singulares deponentes de facto proprio et de miraculo in sua persona patrato admissos fuisse ad probanda miracula, dicebant agentes pro Josaphat, præsertim concurrentibus indiciis et conjecturis, vel fama, ex quibus posse judicem fidem adhibere dicto unius testis, post alios scripsit Menoch. de arbitr. jud. cas. qq. in fine, atque in Relatione B. Thomæ de Villanova tit. de virtut., cap. 2 de charitate. Quod relinquendum esse arbitrio judicantis, qui, inspecta qualitate et

idoneitate testium, natura miraculi, et pensatis omnibus circumstantiis, statuere debet, quæ et quanta fides unico testi sit adhibenda, prudenter monuit R.P.D. Contelorius *de canoniz. Sanctor. cap.* 18, *num.* 27, *in fine*, et fuit animadversum *in Relatione S. Raymundi, part.* 2, *art.* 8, in *Relatione S. Franciscæ Romanæ, part.* 3, *art* 2, *miraculo* 8 *et art.* 2 *miraculo* 9, *atque in Relatione S. Caroli, part.* 3 *mirac.* 4 *et in aliis*. Idque potissimum pendere a Sanctitatis Vestræ arbitrio asserebatur, cujus antecessores Leo III, Innocentius III, Alexander III, Joannes XV, Bonifacius IX, Leo X et alii admiserunt testimonia singularia in miraculorum et sanctitatis probatione.

Super quibus tamen probationibus circa miracula cum agentes pro venerabili Josaphato non multum insisterent, transivimus ad excussionem prodigiorum et signorum quorumdam admirabilium, post mortem præsulis secutorum, quibus videtur Deus voluisse comprobare veritatem ejus martyrii, et vertere opprobrium ejus in honorem, juxta votum psalm. 118 : *Aufer a me opprobrium et contemptum, quia* martyria *tua exquisivi;* ita enim loco verbi *testimonia* legit D. Augustinus, et in hunc sensum accepit dictum psalmum *Concion.* 9; et hujusmodi signa loco miraculorum fuerunt ponderata in *Relatione* 26 *martyrum Japonensium, art.* 3, similiaque prodigia Romæ contigisse post mortem Apollonii senatoris, martyris sub Commodo imperatore, perpendit Baronius in *Annot. ad martyrolog.*, ad diem 28 aprilis; de quibus contendebant patroni causæ adesse plenas et concludentes probationes.

Primo enim, in die mortis servi Dei Josaphat, visa fuit super civitate Vitebscensi impendere densissima nebula sanguinea, quæ totum Vitebscum cinxit, usquedum corpus ex aquis fluvii, in quibus demersum fuerat et sex dies latuerat, a schismaticis extractum fuit, ut

tres oculati testes affirmant in *Processu Polocensi*, nempe 103, 105 et 106 : quasi cœlum ipsum sanguinariæ et parricidæ urbi pœnas minaretur, et recens pastoris sanguis clamaret adhuc ad schismaticos, ut ad Romanæ Ecclesiæ gremium redirent, et schismatis labem detergere sacra eluvione pararent.

Secundo, visa fuit splendida et coruscans servi Dei facies, postquam e flumine extractus est, qualis numquam visa fuit, dum viveret, adeo ut angelicum referret aspectum, quamvis antea a schismaticis multis modis deformata fuisset. Ita inquiunt sex testes in *Processu Polocensi*, nempe 7, 32, 54, 88, 90, 108; atque ipsi Vitebscenses aliique schismatici in testimonio, alta voce unanimiter dato, deposuerunt, ut in *Processu* (fol. 76 et 79), ubi quod corpus post extractionem ab aquis visum fuit insigniter pulchrum, et elegans, et contra naturalem servi Dei colorem rubicundum. Quæ quidem claritas gloria vultus appellatur ab apostolo (2 ad Cor. cap. 3) et amoris Dei signum, juxta illud Deboræ in cantico Judic. c. 5 : *Qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent;* quæ legitur data Moysi (Exod. cap. 34) et S. Bernardo, secundum Surium (in ejus vita, lib. 3, cap. 1), necnon Ludovico Bertrando, ut habetur in *ejus Relatione, in 3 miraculo.*

Tertio, super corpus interfecti antistitis et super locum fluminis, ubi fuerat demersum, lumen de cœlo lapsum, aspicientium oculos perstringens, ceu quamdam flammam e flumine progredientem visam fuisse, testantur 4 testes in *Processu Polocensi*, nempe 91, 93, 108, 110, et in *Processu urbis* testis 1 et 2 juxta 24 de publica voce et fama. Quod prodigiosum videtur et martyri proprie conveniens, quippe quod S. Joannes Chrysostomus (in *Homil. de Macchabæis*) vocavit martyres illustriores mul-

tis solibus et magnis luminaribus clariores, et conferunt carmina D. Gregorii Nazianzeni in *Iambico* 18 :

. . . . Orbem totum
Fulgore complent, siderum in morem, illius
Mactatus est qui, martyres clarissimi [1].

Quarto, in visitatione corporis, seu exhumatione, lacrymæ manantes ex oculis et sudor e fronte profluens conspectus fuit, ut habetur in *Relatione visitationis in processu* (fol. 69) et affirmat 68 testis, qui est archiepiscopus Polocensis : quasi schismaticorum pertinaciam deploraret, et adhuc desudaret pro eorumdem reductione ad sinum sanctæ matris Ecclesiæ ; necnon in eadem visitatione deprehensa fuit in corpore Josaphati magna flexibilitas, perinde ac si viveret atque adhuc spiraret. Quæ uti mirabilia sanctitatis indicia considerari solent, et traduntur de corpore B. Jacobi de Marchia, uti fuit ponderatum in *Relatione S. Francisci Xaverii, in 4 miraculo post mortem.*

Quinto, cum servi Dei corpus Vitebsci deferretur ab ecclesia ad navigium, Polociam Duna flumine advehendum, et transire accidisset juxta synagogam calvinisticam, calix, qui supra feretrum steterat, sponte sua inversus est, funiculis omnino irruptis, quibus hinc inde serico feretrali fuerat alligatus, cum semper antea immotus stetisset, etiam cum de monte asperrimo deferretur. Ita de visu deponunt sex testes, hoc est 11, 32, 40, 98, 102 et 103 ; de auditu vero et publica voce et fama testes 91 et 101 in *Processu Polocensi.* In qua calicis eversione Deus mirabiliter manifestare voluisse videtur, in

[1] Ed. Paris., an. 1630, t. II, p. 216.

servo Dei etiam defuncto adhuc vivere zelum domus Dei, ut quem vivus oderat malignantium hæreticorum cœtum, etiam mortuus a communione calicis arceret ; quod tunc dictum fuisse ab aliquibus ferventioribus fidelibus, addit testis 11, in fine depositionis.

Sexto demum, quod maximum est veri martyrii argumentum, mors antistitis multorum hæreticorum conversionem ad fidem operata fuit, ejusque sanguis inimicos quoque suos convertit ad pacem, ut non dividatur aut solvatur vinculum charitatis, ut habetur *Proverb. cap.* 16. Nam de schismaticis ipsis persecutoribus, quod fere omnes scelestum facinus detestati, et innocentis cruoris effusionem publice deplorantes, ad Ecclesiæ catholicæ unitatem revocati fuerint, deponunt testes 10 (subdens, ante mortem præsentis multos fuisse schismaticos, et illo occiso, rarissimos, et nullum schismaticorum templum Polociæ et Vitebsci), 32, 53, 68, 69, 107 et 108, in *Processu Polocensi* et in *Instrumento visitationis factæ per commissarios apostolicos* (fol. 68).

Unde vere persequentium judicium servus Dei vicisse videtur, ut scriptum est : *Et vincas cum judicaris ;* quod ad martyres D. Ambrosius refert in serm. 23. Quæ reducum animorum acquisitio non nisi merito martyrii est adscribenda : martyr enim Christi, tanquam granum frumenti cadens in terram, postquam mortuum fuerit, multiplicem fructum affert. Quod et S. Leo et S. Prosper, S. Leonis notarius, egregie expresserunt : ille in sermone 1 *Natali apostol. Petri et Pauli* illis verbis : *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, et semper dominicus ager segete uberiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur ;* hic vero in Lib. Sentent : *Mortibus martyrum et sanguine occisorum sanctorum incrassata est terra, et, sicuti agri de cinere et vi-*

lissimis excrementis vires ubertatis assumunt, *ita cruore cæsorum Christi martyrum totus fæcundatus est mundus*, *et undique seges Ecclesiæ cresceret*, *et insererentur cœlo*, *qu deputabantur inferno*. Unde et Tertullianus (*Apolog*. c. ult.) sanguinem martyrum vocavit *semen* christianorum, S. Augustinus (inps. 140) *fimum*, quo fœcundatur Ecclesia, S. Justinus *potationem*, qua fit vinea Domini uberior, Origenes (in Joann., tom. 9) quamdam hæresis et infidelitatis *theriacam* et præsentissimum *antidotum*.

Hanc vero persecutorum et tortorum conversionem et ab impietate ad pietatem revocationem inter mirabilia per martyres edita recensendam esse, monuerunt S. Ephræm (in postrema orat. *de martyrio*), S. Augustinus (serm. 63 de divers.), Theodoretus (lib. 8 contra Græcos); et hujusmodi impiorum justificationem miraculosam appellat S. Gregorius (homil. 29 in evang. Matthæi), subdens, hæc miracula tanto majora, quanto spiritualia et per quæ non corpora, sed animæ suscitantur; et S. Augustinus (in ps. 70 et de civitate Dei, lib. 22, cap. 8) parificans resurrectioni mortuorum suscitationem animarum; et conversio ad Christum septemdecim præfectorum carnificinæ recolitur in tabulis ecclesiasticis inter miracula S. Martinæ, multaque alia exempla suppetunt ex Actis martyrum, et id miraculum esse, fuit approbatum in *Relatione S. Franciscæ*, *in miraculo* 13, circa conversionem cujusdam Turcæ.

Hæc habuimus, quæ de Josaphati, fortissimi præsulis rebus in vita gestis et morte in Christi gratiam pro Sedis hujus (apostolicæ) defensione suscepta, ejusque virtutis in cœlo receptæ signis ex publica fide referremus.

(Conf. *Benedictus XIV*, *De servorum Dei beatific. et Beatorum canonizatione*, lib. III, Appendix III, Pars 3 et 4.)

IV

ORATIO

DE

B. M. JOSAPHATO KUNCEVICIO

ARCHIEPISCOPO POLOCENSI

ANNO 1623 DIE 12 NOVEMB. VITEBSCI A SCHISMATICIS CRUDELITER TRUCIDATO

HABITA PUBLICE IN COLLEGIO ROMANO S. J., AN. 1624, DIE 12 SEPT.

A THOMA XENICEPULO

COLLEGII GRÆCORUM ALUMNO.

Magna profecto communem ad voluptatem fieret accessio, auditores, si Josaphat Kuncevicius, Polocensis Ruthenorum antistes sanctissimus, quem exornandum hodierna luce suscepi, oculis usurpari posset a nobis, aut certe vivens adhuc et spirans aggredi laudanda, cum maxime laudaretur. Sed a tanto lætitiæ sensu prohibet nos humanæ sortis miserrima conditio, verita ne, si tot simul in unum congereret bona, ex homine faceret propemodum Deum. Usu proinde comparatum est, ut ab extrema vitæ periodo commendandi ducatur exordium, ut non nisi demortuorum feretrum in teneræ vertatur

cunabula laudationis. Quod si alias interdum non sine ingenti dolore percepimus, in optimi præsulis Kuncevicii obitu ita sumus experti, ut vocis usus relictus tantummodo nobis videretur ad querelas. Quis enim, sanctissimæ mortis perlato nuntio, temperare potuit lacrymas ubertim fluentes? O dolorem! o luctum! Ita ne vero scelestissimorum prædonum crudelitati addicitur candor innocentiæ, ut in proprio tandem sanguine rubeat? itane eripitur nobis, qui omnium ætates vivere debuerat? Occidit, occidit spes melior sanctæ unionis, Kuncevicio interempto : cujus ut in sinu spirabat religio , sic per vulnera propemodum expiravit. Miseræ ludibrium mortalitatis! quæ pulcherrima habentur, in ipso pene ortu corruunt, et pretii magnitudinem vitæ brevitate corrumpunt ; quamquam in viro egregio non modo nihil de perfectarum virtutum excellentia properatus exitus detraxit, sed eas potius mirifice illustravit.

Tria sunt, quæ sanctissimum præsulem e vulgo humanæ societatis exemptum, beatarum mentium inserunt choris. Pietatis studium supra quam credi possit singulare, alienæ saluti curandæ demerendisque hominibus facta sedulitas, in laboribus ac periculis invadendis usitatæ constantiæ fines egressa fortitudo. Hæc a me non rhetorum coloribus efficta , sed simplici veritatis stylo descripta accipite , quando sua magnitudine omnem prorsus lemniscatæ orationi aditum intercludunt.

I. Fuit sane romani olim principis pueritia maxime celebrata, quod hoste prostrato, servatoque cive, duplicis laureæ ramulos festinabunda manu in prælio decerpserit, cujus vix ætas eum inspectorem esse patiebatur. Fuit etiam in Kuncevicio ad laudes perpetuum, ad admiratio-

nem prope divinum, quod teneræ ætatis stabilimentum religiose agendi celeritate præcurrerit, insolitoque triumphi genere, christianæ pietatis hostes fuderit, antequam nosset, vivendi propemodum ignarus, vincendi peritissimus. Virtutes omnes ab ipsis pene incunabulis amplexus fuit studiosissime, ita tamen, ut nulla unquam senserit elementa virtutum. Modestia, gravitas, animi demissio, humanarum rerum contemptus, amor divinarum, non ut tenues in ipso promicabant scintillæ, sed ut effusi coruscabant radii.

Virilem itaque in pueritia sanctitatem, in vitæ crepusculo meridianam prudentiæ lucem, fructum maturitatis in flore juventutis, in primo adolescentiæ vere virginea innocentiæ adeptus est lilia. Vilnæ (nam ibi pueritiam transegit) sacris omnibus intererat quotidie, votis cœlum fatigabat assidue, preces sub lucis ortum in templo haberi consuetas antelucana excipiebat industria, auroram præcurrensne, an secum ferens in corde. Certe sine sole nunquam erat, cujus pro sole simul et corde Deus vivebat in pectore. Nec alibi cœlestis militiæ rudimenta posuit tyro fortissimus, quam in castris septisque virtutum, hoc est in templo, a cujus statione nunquam discedebat, ut tam ad vestalis ignis invidiam, quam ad cœlestium siderum æmulationem, custos religionis Josaphati pietas quasi flamma vigilaret. Et vigilavit profecto militis invicti solertia, perditorum hominum profligatrix acerrima, adeo ut, cum vetus illa Orientalium a Romano Pontifice defectio septemtrionis etiam populos pestilenti velut sidere afflasset, unus propemodum inventus fuerit Josaphat qui vinci posse inimicos docuit, qui catholici instituti templa frequentans, qui sacris ministris inserviens, cœlestis, ut ita dixerim, Proteus omnium mores induit et formas.

Tandem nil sibi relictum animadvertens a majoribus præter libertatem, hanc etiam impendit, ut arctiori servitutis genere Christo mancipare tur. Enimvero statim atque sub magni Basilii auspiciis religiosam professus est militiam, liberum velut ingressus exercendæ virtutis campum, assiduis in corpus cruciatibus insurgere, famis incommoda magis patientia quam alimentis repellere, sitis ardorem sola infusa gelida restinguere, omnia corporis oblectamenta pectoris inconcussi robore calcare, deliciarum hostis infensissimus, alienis natus obsequiis, promptus ad imperia, ingeniosus ad pœnas. Quæ sane omnia ita a Kuncevicio sedulo peragebantur, ut alienæ incolumitatis servandæ major ipsi cura impendere videretur; et hoc alterum est meæ orationis caput.

II. Quid hic ego in lucem proferam? assiduas itinerum difficultates, labores fortiter exantlatos, dies perpetuis ductos molestiis, noctes publicæ utilitati pervigilatas? quid memorem in obeundis sacris concionibus ardorem? quid in moderanda religiosa familia, cui præerat, diligentiam? quid pertinax illud studium quo ita cœlestium mysteria paginarum, ita sanctissimorum Patrum decreta, ita perdifficiles christianæ religionis controversias penetravit omnes, ut inimicorum audaciam et libere possit invadere, et commode perfringere, et profligare felicissime; quamquam longe plures aureæ demissionis vinculis attraxit Josaphatus, quam fulmine perculerit sapientiæ, optime intelligens partam eruditione gloriam invidiæ patere posse, gloriæ contemptum amore carere non posse. Nondum sacerdotio initiatus, sacerdotem, quem pro imperio cogere poterat, lacrymis adstrinxit, ut multorum, quos ipse magno labore coegerat, crimina exciperet simul et expiaret; par enim erat, ut oculi fletu

minime vacarent in ea cura, in qua largo jam sudore perfusus toto corpore fuerat lacrymatus. Jam vero sacerdos factus, et in cœnobio Vilnensi abbatis dignitate insignitus, quantopere contendit, ut suæ restitueret vitæ schismaticorum cadavera, vitali spiritu ideo destituta, quod divini Spiritus inimica? Quanta benevolentia privata singulorum commoda excepit, fovit, curavit? Ipse egentissimus quemque opportuna liberalitate confirmabat, inopum vota celeri præcurrebat largitione, sacros redditus in beneficio libentius quam in fructu reponebat. Idem civium simultates incredibili charitate dissolvebat, tenuiorum hominum fortunas acri propugnabat industria, insitas animis mœrentibus ægritudinum stirpes auxiliaribus verbis elidebat. Unus xenodochia invisere, sordes abluere, morientibus adesse, instruere mensas, assidentibus ministrare. O Kuncevicii caput sacris infulis verendum ad pedes plebis prostratum! O vere triumphantes manus non a sceptro ad aratrum, sed a divinis mysteriis ad obsequia postrema demissas! Et mirabimur, cum tanta singulos humanitate convinceret, suam tam facile cunctos in sententiam traduxisse?

Extremos Lithuaniæ fines percurrens aliquando, flumen offendit quod, glacie sensim diffluente, neque curru, neque navigio poterat secure tentari. Constitit vir sanctus, cumque plurimos ibidem aquarum ingenium morari coegisset, commodam nactus opportunitatem, ardentes adeo divinæ charitatis flammas omnium subdidit pectoribus, ut celerius ipse tot animarum glaciem, quam sol unius fluminis gelu dissolverit. Quare ulteriorem assequi noluit ripam, donec insidentes singulis criminum maculas abstergeret. Egregius profecto nauta, cujus ope inveherentur homines in cœlum trajectione

facillima. Et perfecit id sane præsul optimus, sola tunc usus auctoritate verborum : alias enim sæpius numerata pecunia ad deponendas animæ sordes obvios quosque præsertim in itinere invitabat, et hac ratione a dæmonis tyrannide liberatos mortales emebat in servos negociator insignis, non sibi quidem, sed Christo, cujus ut se imitatorem strenuum ostenderet, proprio sanguini non pepercit. Et hæc pars extremo loco proposita ad dicendum, orationem absolvet.

III. Fatigaretur sane exercita cujusvis eloquentia, omnia leviter facinora attingendo, quæ vir eximius Josaphat constanter exercendo nunquam fatigabatur. Nam, ut infinita prætercam, Ruthenicæ Polocensium antistes Ecclesiæ constitutus, magno labore destruens et evellens, ædificans et plantans, omnes absolutissime numeros explevit optimi pastoris. Ingresso ei vastissiman vitiorum silvam, non modo criminum stirpes erant abscindendæ, sed et ferarum impetus cohibendi, et latronum vires reprimendæ, penitusque frangendæ. Quod ipse tantis cumulatum periculis opus ita suscepit, ut brevi temporis intervallo, qua robore mentis infracto, qua sedulo conatu et diligentia, æquata solo templa pristino decori restituerit, sacros ministros sanctiori disciplina imbuerit, imminutum cleri numerum copiose auxerit, Ecclesiæ prædia e manibus potentiorum vindicaverit, maximam postremo hominum multitudinem romani pontificatus imperio subdiderit; et qui turmatim prius tanquam victores sese inferebant magnifice, quærendi demum essent, ut vincerentur.

Tot tantisque curis cum indefessa pastoris detineretur industria, novus pestiferæ seditionis turbo in Russiæ fines toto furore irruit. Smotriscius assiduis velitationibus

ad perniciem veræ religionis imbutus, Polocensem antistitem impudenter agens, alienam ditionem invadit, sinceræ fidei lumen in omnium animis extinguere conatur, et subdolis verbis cunctos ad defectionem sollicitat. Concurritur late, et facile convolant numerosæ catervæ sub signa ducis tam insigniter improbi. Percepto hac de re nuntio, Josaphat, qui a publica evocatus utilitate longe aberat, advolat extemplo, urbes ac pagos invadit, lapsos erigit, errantes reprehendit, furentem hostem submovet, scelestæque defectionis hydram in capita succrescentis divini amoris facibus expugnat. Sed major erat adversariorum audacia, quam ut benevolentiæ significationibus deliniri, ardentior sitis, quam ut citra cruorem satiari posset.

Ergo Vitebscum urbem invisentem pastorem composito ad hilaritatem vultu excipiunt cives, et quo fallant cautius, maximarum quæ inter ipsos vertebantur, simultatum arbitrum eum constituunt. Tum specie liberandi e vinculis perditissimi hominis, quem ipsi in omne scelus armaverant, sacram curiam invadunt, populique rabiem ad pugnam acuunt. Josaphat semper clementissimus, præsenti quamvis famulorum opera furibundos hostium reprimere posset spiritus, omni tamen bellico apparatu jubet servos abstinere, ne parem crudelitatem adversariorum invasio scelestissima et justa defensio præ se ferre videantur. Sed bona archipræsulis indoles malos invenit suæ benignitatis interpretes, qui toto statim bello sacras ædes invadunt, refractisque per vim portarum claustris, irrumpunt in curiam, et gladios domini tandem latus confossuros experiuntur in servis.

Interim Kuncevicius, qui provolutus in genua sacris se precibus munierat, propinquæ mortis securus, e conclavi progrediens, non feroces modo perduelles, sed

ipsam, cui tam generose obviam procedebat, mortem aspectu conterruit. Sacri vultus spectaculum sicariorum crudeles oculos obstupefecit, et hostium paululum iram admiratione placavit. Mox, quasi barbaros puderet humanitatis, ut sævitia moram redimerent, destinatum immortalitati caput præusto primum fuste percutiunt, tum oblongâ securi dividunt; vario denique telorum genere laniant, contundunt, discerpunt. Prostratus humi Josaphat, dum jam decessisse videbatur e vivis, protulit suaviter hæc verba : *o Deus meus!* et manum tantisper elevavit sursum, sive cœlestis patriæ portum quem tangebat, indicaturus, sive suos vulneratores admoniturus, sive iisdem pectoris sui fortitudinem ostensurus, aut paternæ charitatis sempiternam commemorationem relicturus. Hic vero indignati perduelles, semianime cadaver in aream raptatum, ferreis transverberant gladiis, fustibus cædunt, ac totum fæde dilacerant. Ah! perfidas cohibete manus, parricidæ perditissimi! non aliis sacrum illud pectus confici didicit jaculis, quam divini amoris. Cur funera funeribus superadditis? quid geminos soles morte involvitis? quid venerandum vultum cruore pingitis? Solis cœlum sideribus splendet, et sicut publicæ utilitati largis imbribus providet, ita numquam sine maximo mortalium damno sanguine lacrymatur. Interea nil reliquum erat crudelitatis in sanctum antistitem sævientibus. Alligato ad pedes fune, raptabatur ad plateas, pingebantur sanguine fora, sacræ calcabantur exuviæ, personabat plagarum strepitus; crines, artus, membra lacerabantur. O divina præsulum majestas, humano fastigio longe superior! O sacerdotum pedes calcandis sideribus nati! o manus antistitum regum oculis nobiles! huccine vestra descendit dignitas? huccine vestra amplitudo devenit, ut infimæ plebis exposita ludibriis, nullum

locum, ubi consistat, inveniat? atque utinam hic sal tem satiatus furor hostilis pepercisset martyri! sed impia feritate ferociores parricidæ cum nudatum cadaver cilicio, quo semper armatus ipse incedebat, circumdatum invenissent, ardui montis conscenso supercilio, præcipitem inde præsulem deturbant, quasi sua crudelitate minime contenti, inita cum vepribus ac scopulis conjuratione, lacerandum illis sacrum corpus tradidissent.

Tandem cum ferrum, cum flammas, cum saxa, cum stirpes, cum tela, in tanti sceleris communionem vocassent, ne sola flumina aliena viderentur a crimine, magnis corpus oneratum lapidibus, altissima præterfluentium aquarum profunditate demergunt. Sed tanto se parricidio inquinare renuit unda; quinimo fulguris instar emissa luce, docuit demortuum etiam Kuncevicium posse ex fluminibus fulmina elicere. Confestim igitur extractum corpus ingenti pompa Polociam defertur, ipsis etiam Calvini asseclis feretro subeuntibus. Quod spectaculum tuas mirifice, o Josaphat, laudes geminavit. Bis enim te orbi terrarum adversarii victorem ostenderunt, viventem abjectis armis in pugna, extinctum suppositis humeris in funere. Quamquam funus ne hoc loco dixerit aliquis, an justius triumphum? Certe si funus, nonnisi funus fuit triumphantis; cum præsertim et lucidissimi splendoris columna ipso carnificinæ tempore imminens Vitebsco, et erumpens e nebula corpus martyris obsidente radius, et bina infantis vox ignotum tanti viri interitum prædicantis, invicti militis trophæa abunde testentur.

Quæ omnia licet amplissimum lætitiæ campum aperiant, non tamen omnino lacrymas illas abstergunt, quibus unusquisque tanti ducis prosequitur occasum. Et multis ille quidem flebilis occidit, nulli tamen flebilior

quam tibi, Sigismunde, Poloniæ rex potentissime, cujus regnum quantum militari præstantia barbaros domat ac frangit, tantum inter christianos populos Kuncevicii splendore illustratum gloria pietatis emicat. Tu perfidos statim sicarios debito supplicio afficere, rebelles cives libertate spoliari, tecta pene solo æquari, ac urbem totam propemodum deleri jussisti. Quibus justissimæ indignationis argumentis nobilissima Albæ Russiæ provincia, et qualem amisisset antistitem, et qualem haberet principem, intellexit. Tu fortissimi martyris nomen ad ultimas terras detulisti, ut quo Sigismundi nomen pervenerit, eodem Kuncevicii fama penetraret. Romæ vero tua studia in præsulem publice sanctissimum decantata, amplissimo purpuratorum Patrum senatui gratissimo acciderunt. Spes est, ut tanti viri virtus tanquam exemplum omnibus imitandum publice proponatur, debitisque honoribus excipiatur : ut quando ille beatis superum ordinibus adscriptus, maximæ pietatis, charitatis eximiæ, strenuæ fortitudinis triplicem lauream est consecutus, nostrarum etiam laudum appendicem, ad Russiæ decus æternum, ad perpetuam christianæ religionis firmitatem, ad hostium immortale supplicium, ad virtutum commendationem sempiternam consequatur.

(Ex *Specimine Ecclesiæ Ruthenicæ*, ed. Paris., p. 221 et seq.)

ELOGIUM

BEATI MARTYRIS

JOSAPHAT KUNCEVICII.

BEATUS JOSAPHAT
DE ROSA PURPUREA AD PURPURAM NATUS
QUAM CŒLITUS PER CRUCIFIXI AFFLATUS PURPURAM
PENE INFANS DEPERIBAT
PUERITIÆ PIETATE
FACEM PRÆTULIT RELIGIOSÆ ADOLESCENTIÆ
UT PRIUS RELIGIOSUS DICERETUR QUAM ESSET
FACTUS VERO
SENIOR MORIBUS NON ÆTATE
EGREGIE MAGNUM PARENTEM SUI ORDINIS BASILIUM
ADUMBRAVIT
UT QUI OLUS PRO AMBROSIA FRIGIDAM PRO NECTARE
ARIDAM PRO ROSIS LEBITONARIUM PRO OSTRO
VITÆ PRODIGUS ELEGERIT
ZELO SALUTIS HUMANÆ RAPTUS
ANIMARUM RAPTOR AUDIVIT
QUAS CUM UBERTIM RAPERET
IPSE ETIAM VILNÆ AD CLAVUM MONASTERII
ALTISSIMÆ TRIADIS RAPITUR

IN QUO
PIÆ ET VIVÆ ERUDITIONIS LUCE
EO FUIT ADMIRABILIOR
QUO A SECRETIORE DOCTRINA REMOTIOR
ALTISSIMUS DOCTOR DEO MAGISTRO
EVASERIT
ARCHIEPISCOPATUM POLOCENSEM SUSCEPIT COACTUS
QUEM
VITA ILLUMINAVIT ANGELICA
DOCTRINA APOSTOLICA
LAC ET LANAM AB OVIBUS NON ACCEPIT SED DEDIT
QUIPPE QUI EAS LACTATAS PIETATE LIBERALI CHARITATE
VESTIVERIT
ECCLESIÆ JUXTA ATQUE ORPHANORUM
PATER ESSE MALUIT
QUAM DOMINUS
CUM TOTIES PRO RUSSIÆ UNIONE
VIVOS EX OCULIS FUDISSET UNIONES
DEMUM CUM SANGUINE FUDIT ANIMAM
UT
SUI RUPTA UNIONE
RUSSIÆ REPARARET UNIONEM
CUJUS
VITAM IN MELIUS MUTANTIS STADIUM
FUIT ALBA RUSSIA
VEL SOLO NOMINE INNOCENS
NISI TANTO CONTAMINARETUR FACINORE
HÆC

DUM VARIAS IN OPTIMUM SUUM PARENTEM
ARMAT CIVITATES
VITEBSCUM NATURA BOREALIS PLAGÆ HORRIBILE
VITIO IMMANIS CRUDELITATIS HORRIBILIUS
AD HOC NON FACINUS, SED SACRILEGIUM
PROMPTIUS FUIT QUAM IMPERARETUR
ET CUM
SANGUINEM EJUS BIBENS EXSATIARI NEQUIRET
ALTAM EUM BIBERE DUNAM COEGIT
RATUM HABENS SUAM QUOQUE SITIM
ITA EXTINCTUM IRI
SIC IMMANE VITEBSCUM
INNOXIUM JOSAPHATUM
PRO SACRA UNIONE
SUB ANNUM UNITI DEI ET HOMINIS
MDCXXIII NOVEMBRIS XII
BAPTIZAVIT
UT MARTYRIS NOMEN
IN EJUSMODI BAPTISMO ASSUMERET
QUI TAMEN
PATREM LUMINUM CUM VERBO EJUS ORAT
DIMITTI PARRICIDIS AIENS EOS NESCISSE
QUID FECERINT
UT CONVERSI AMBULENT PER VIAM
AD SPLENDOREM EJUS [1].

[1] Baruch. c. 14.

ADDENDA

ET

EMENDANDA.

Stanislaus Kosinski, de quo sermo pluries heic recurret, erat natione polonus, patria Mazovita, trium aliorum de Societate germanorum frater. Deo in Societate se dicavit anno salutis 1602, ætatis decimo quinto. Vir gravis, zelozus, serius, gubernavit collegia Derpatense in Livonia et Polocense in Alba Russia. Tempore pestis, quæ anno 1630 sæviebat Vilnæ, sponte mansit ibidem cum Andrea, fratre suo, ad proximos juvandos; quumque P. Andreas Kosinscius in hoc sacro ministerio cecidisset, ipse divina ope ad ulteriora merita servatus, religiose decessit Resselii, in Prussia, die 22 aprilis, anno 1657. Ita fere Sotuellus in *Bibliotheca scriptorum Societatis Jesu*. Opusculum vero, polonico idiomate delineatum, de quo Jacobus Susza, sequentem titulum præ se fert : *Vita et martyrium B. Josaphat, episcopi et martyris, diffuse collecta a P. Stanislao Kosinski S. J., nunc ad communem fidelium ædificationem breviter typis edita a quodam sacerdote ejusdem Societatis*. Vilnæ, 1665. Ita R. P. Josephus Brown tum in *Bibliotheca scriptorum nostrorum in Polonia*, quam nuper juris publici fecit, tum etiam in *Bibliotheca scriptorum S. J.* Backeriana. **Ad pag. XIII, præf. De P. Stanislao Kosinscio S. J.**

Ad pag. 1. De nomine Josaphati gentilitio.

Kuncevicii nomen gentilitium, quo constanter donatur Josaphat a Jacobo Susza, meliore, ni fallor, jure scriberetur *Koncevicius*. Quæ quidem posterior scribendi ratio solemnis est tum Auditoribus Rotæ in *Relatione* ad Urbanum VIII data atque a nobis partim reproducta, tum P. Julio Cordaræ in *Historia Societatis Jesu*, aliisque auctoribus, sive latinis sive etiam russis.

Ad pag. 5, lin. 14. De P. Valentino Fabricio, S. J.

Valentinus Fabricius (qui et Kowalski), cognomento Groza, natione Polonus, patria Roxolanus, admissus fuit in Societatem Jaroslaviæ, anno 1580, ætatis decimo septimo. Rhetoricam et humaniores litteras docuit octennio, philosophiam triennio, theologiam quinquennio. Vir doctissimus et celeberrimus, Sigismundi III, Poloniæ regis, per annos circiter 18 concionator, etiam cum oculis captus nihil legere posset, dicebat tamen pro concione cum plausu, et ab auditore frequenti cum admiratione auscultabatur. Cætera vir humillimus, deprimendi sui ipsius occasiones passim captabat, et natalium suorum obscuram conditionem; non solum non dissimulabat, sed ultro propalabat, et subinde exaggerabat. Demum ad multorum annorum stipendia ex hac vita evolavit Varsaviæ, die 22 februarii, anno 1626. Edidit polonice *Concionem seu strenam*, quam dedit Varsaviæ in ecclesia S. Joannis statibus virginali et senatorio, die Epiphaniæ, anno 1622. Cfr Sotwel, De Backer, Brown. Quo ultimo teste, immerito nomine Valentini donatur versio polonica opusculi Bellarminiani *De gemitu columbæ*, cum auctorem habuerit P. Petrum Fabricium.

Ad pag. 6, lin. 10. De Hypatio Pociey et Rutscio.

De Hypatio Pociey et Josepho Rutscio, quorum mentio fit sæpissime in opere Jacobi Susza, disseruit idem auctor fusius in alia scriptione : *Saulus et Paulus Ruthenæ unionis, sive Meletius Smotriscius*, etc., de qua mox dicentur plura. Scripsit Hypatius *Conciones et homi-*

lias, quas e polonico idiomate in latinum versas olim juris publici fecerat, Leo Kiszka, metropolita Kioviensis, addita *Vita* ejusdem *Viri Dei et responso ad Meletium, patriarcham Alexandrinum*, *dato*. Supraslię, 1714.

De collapsa vero monachorum Basilianorum disciplina, quam Rutscius ad meliorem normam reduxit atque instauravit, ope Patrum Societatis Jesu potissimum usus, plura legi possunt apud Cordaram, in *Historia Societatis Jesu*, part. VI, lib. 1, n° 66.

Quia de monasterio Zyroviciensi, quod imagine B. M. V. miraculosa inclaruit, sermo incidit non semel in opere Jacobi Susza, non abs re fore puto, si de icone hac thaumaturgica pauca hic subjungantur, ex *Anno ecclesiastico græco-slavico*, quem ego nuper in lucem dedi, potissimum deprompta. Ad pag. 25, lin. 23. De imagine B. V. Zyroviciensi.

« Zyrovicium itaque pagus est palatinatus Novogrodecensis in Lithuania, in quo exstabat præter ædem, pro gentis more, venustam et grandem, monasterium quod regulam S. Basilii Magni professi, Sedique et fidei Romanæ uniti, cœnobitæ incolebant inde a temporibus B. Josaphati. In templo etiamnum servatur imago jam dicta, lapidea, molis exiguæ, atque ut nonnulli putant, e lapide griseo; in cujus ambitu sequens legitur inscriptio ex liturgia S. Joannis Chrysostomi slavonicis litteris expressa : *Te*, *venerabiliorem præ Cherubim*, *et gloriosiorem præ Seraphim*, *quæ sine labe Verbum Dei peperisti*, *veram Deiparam*, *magnificamus*. Hanc in vicina silva Zyroviciensi (a voce *zyr*, latinis *pascua*, nuncupata) invenere pastores piro insistentem, absque fulcro et fulgentissima luce radiantem. Inventa est non sub annum 1566, ut minus adcurate mandaverat ad Gumppenbergum Albertus Kojalovicz, nec anno 1191, ut patenti et immani anachronismo tradidit Demetrius Debolski, domo russus,

in libro : *Dies liturgici* (*Dni bogosluženia*, tom. I, pag. 140); sed intra annos 1470 et 1480, teste Kulczynscio aliisque auctoribus ab eo citatis, qui de hoc argumento scripserunt ex professo. Unde illuc allata fuerit, penitus ignoratur; tradunt namque, ab angelis de cœlo delatam et in silvis relictam. Illud pro certo habendum, quam plurimis miraculis coruscasse; quorum fama non Lithuaniam tantum, sed et Albam Russiam et Poloniam Lithuanis continguam traxisse; præsertim ex quo illata fuit in templum, ab illustrissimo Alexandro Soltan, ordinis Hierosolymitani et aurei velleris equite, locique domino, perbelle, ut dictum est, exstructum. Jamvero venerationi et cultui B. Virginis augendo non parum consuluit beatus Josaphat et, quam secum Zyrovicium adduxerat, religiosa S. Basilii familia, tot martyribus ob cultum imaginum passis jure merito clara. — Porro non in Lithuania tantum, sed et Romæ cultum obtinuit imago Zyroviciensis, vulgo *del Pascolo* dicta, ut fuse tradit Kulczynski in opusculo : *Il diaspro prodigioso di tre colori*, *ovvero narrazione istorica delle tre immagini miracolose della B. Vergine Maria* etc., Roma, 1732.

« Pulchre totius rei summam sequenti oratione expressit in *Anno cœlesti*, ad 15 augusti, Joannes Nadasi noster : *Sancta Maria Zyrovicensis, cujus festum in Lithuania hac die celebratur, quam in silva in arbore piro sine fulcro pendentem lux prodidit ; quæ inde ablata, eodem sponte tua rediisti, postea igne omnia circumpasto, illæsa permansisti ; quæ quibusdam hæresi, aliis gravi quopiam peccato infectis visa es veluti tenebroso quopiam velo obducta, cum tamen iisdem, dum post rite obita pœnitentiæ et eucharistiæ sacramenta te aspicerent, pulchra et amœna esses : dele, Domina, dele quidquid in me displicet oculis tuis, quidquid potest tenebras offundere oculis cordis mei.* »

Cfr Annus ecclesiasticus græco-slavicus (qui pars est tomi XI octobr. Act. Sanctorum), p. 278; insuper Kulczynius in opusculo superius nominato.

Commemorare placet quæ de eodem argumento tradit Nicolaus Lancicius, his verbis : « B. Josaphat, archiepiscopus Polocensis, ex ordine S. Basilii, unionis cum S. Romana Ecclesia promotor indefessus, a schismaticis Ruthenis Vitebsci pro Christi nomine et fide catholica et pro sancta potissimum unione cum Ecclesia Romana trucidatus anno 1623, et ab Urbano papa VIII Beatorum martyrum catalogo adscriptus anno 1642, die 12 decembris, tanti faciebat Societatem Jesu, ut palam diceret, se eum non habere pro bono catholico, qui Societatem Jesu non amaret. Idem cum semel in frequenti nobilium consessu, præcipuæ nobilitatis virum, acerbius ad mensam contra Societatis homines invehi audiret, graviter injuria Societatis commotus : *Apparet*, inquit, *magnifice domine*, *te non esse ex numero prædestinatorum*, *qui tam sanctam religionem verbis adeo injuriosis carpere non metuas*. Jamque mensam relinquere statuerat, ni finem ille maledictis fecisset. » **Ad pag. 46, lin. 17. De affectu Josaphat erga Societatem Jesu.**

« Dum esset archiepiscopus Polocensis, et alias, nostris confitebatur; discedens Polocia adibat collegium nostrum, benedictionem pro itinere petens. Polociam rediens, primum omnium collegium nostrum invisebat, et dum pro directione spirituali animæ suæ et ovium suæ pastorali curæ concreditarum et pro aliis spiritualibus negotiis consilia a nostris quærebat, et sequebatur instar novitii, ex ore magistri sui pendentis. » — Hæc Lancicius noster, *Opusculorum spirit.* t. II, pag. 538, n. 21 ed. Ingolstadii, an. 1724.

Pro *Nicolao* legendus est *Stanislaus* Kosinscius, toties videlicet in hoc opusculo citatus. **Ad pag. 52, lin. 9.**

Ad pag. 81, lin. 9. Legatur ita : truculenta brevi periturum morte et periit, cum reus sanguinis tanti pastoris, etc...

Ad pag. 82, lin. 12. Quædam ad causam mortis B. Josaphat spectantia. Ad rem faciunt omnino ea, quæ in præclaro opere *De servorum Dei beatific.* lib. III, cap. 13, n° 12, disserit Benedictus XIV. Quærit enim: *an ad martyrium satis sit, tyrannum ad inferendam mortem moveri ex odio adversus fidem Christi, quamvis occasionem mortis desumat ex alia re, quæ ad ipsam Christi fidem aut nihil pertineat, aut nonnisi ex accidenti pertineat;* et respondet affirmando, *cum actus non ab occasione, vel a causa impulsiva, sed a causa finali veram sui speciem desumat;* quod quidem pluribus exemplis comprobat. *Celebratur nimirum in martyrologio Romano, ad diem* 16 *maii, martyrium S. Abdæ sive Audæ, de quo Theodoretus* (Hist. eccles. lib. V, cap. 39) *narrat, ab eo fuisse destructum pyreum, templum videlicet a Persis igni consecratum; vocatum autem ab Isdegerde, Persarum rege, et suaviter admonitum, ut pyreum destructum reædificaret; idque facere recusantem martyrio fuisse coronatum. Theodoretus porro pyrei destructionem improbat*: Hic zelo immoderato impulsus, pyreum destruxit. *Et postea* : Ego vero pyreum quidem intempestive ab episcopo destructum fuisse fateor; *attamen, cum hujus templi destructio fuerit occasio mortis Abdæ episcopi, cumque Theodoretus ipse concludat, de ejus vero martyrio non esse dubitandum, non quia templum destruxerit, sed quia jussus noluit illud reædificare :* quod vero eversum fanum minime instauraverit, sed mori maluerit, quam id præstare, id equidem admiror et coronis dignum judico : igni enim templum exstruere non minus esse censeo, quam eumdem adorare; *ideoque vera causa mortis ab idololatria, quam tyrannus profitebatur, proindeque ab odio adversus fidem catholicam derivata fuerit; unusquisque facili negotio cognoscere poterit, sufficere ad martyrium, si persecutor ad necem inferendam moveatur*

ab odio in fidem, licet occasio mortis provenerit ex alia re, quæ ratione circumstantiarum ad fidem non pertineret.

Clarius id ipsum comprobatur, subdit doctissimus pontifex, *ex causis Beatorum Josaphat Polocensis et Petri de Arbues : licet enim in prima fidei promotor strenue opposuisset, Josaphat mortem non ab odio in fidem, sed ab inclusione in carcere cujusdam schismatici sacerdotis derivatam fuisse ; in secunda autem ostendere conatus esset, mortem ideo fuisse Petro inflictam, quia qui eum occiderunt, contendebant, non esse in regnum Arragoniæ inducendum tribunal Inquisitionis cum jure confiscandi bona delinquentium, et quia duo ex sicariis odio servum Dei prosequebantur, quod eorum patrem et sororem, quos innocentes reputabant, carceribus Inquisitionis fecerat mancipari ; nihilominus sacrorum rituum Congregatio censuit constare de martyrio et causa martyrii, et uterque in Beatorum numerum relatus est. Per invicta enim argumenta demonstratum fuit a postulatoribus, odium in fidem fuisse veram causam mortis prædictorum Dei servorum, atque adeo quæ a promotoribus adducta erant, ad mortis occasionem esse referenda.* Hactenus Benedictus XIV.

Alia futura narratio. Nimirum integro eam volumine prosecutus est Jacobus Susza in libro notissimo : *Saulus et Paulus Ruthenæ unionis sanguine B. Josaphat transformatus, sive Meletius Smotriscius, archiepiscopus Hierapolitanus, etc.*, quem typis Romanis mandaverat anno salutis 1665, ego vero nuper recudendum curavi Bruxellis, at emendatum et auctum. **Ad pag. 115, lin. 22. De Meletio Smotriscio.**

Simile quid narrat de P. Bruchman P. Joannes Drews, cujus ipsamet accipe verba : « Polociæ, anno 1643, fatis cessit P. Andreas Bruchman, Pruthenus, vir magnæ absolutæque virtutis. Lethali ægritudine laborans ac pro **Ad pag. 117, n. 41.**

desperato habitus, cum sese impense commendasset B. martyri Josaphat, plene vigilans adspectabilem habuit audivitque dicentem : *En, quia invocasti me, adsum. Habe spem, pater, in Domino firmam; nam hac vice non morieris.* Veritatem dictorum firmavit mox subsecuta sanitas ». Hactenus Drews noster in *Fastis Societatis Jesu*, p. 154, ed. Brunsbergæ 1723.

Aliam quoque narrationem suppeditat nobis idem auctor. « Polociæ, ait, anno 1650, P. Adamus Ciecierski, S. J., polonus, ad pietatem promptus, ad expediendas e vitiorum cæno animas dexter fuit; infestum sibi propterea dæmonem passus, sed facile debellatum. Paralysi tactus, putabatur non procul abesse ab hora extrema; sed B. Josaphat ei spectandum se exhibens, adhuc triennium vitæ promisit; quo elabente, pie decessit, oculis plerumque intentis in eam lectuli partem, ubi olim conspexerat b. martyrem, forte tunc etiam præsentem (*Cfr Fasti Societatis Jesu*, pag. 470).

Ad pag. 119, n. 45. De Alexandro Zaslavscio.

De Alexandro, illustrissimo principum Zaslaviensum ab Ostrog ornamento, fuse disserit J. Susza in opere superius citato. Ubi etiam perbella legi poterit epistola ejus, ad Meletium Smotriscium data; qua perlecta et maturius perpensa vinctas tandem manus dedit Meletius, atque unionem cum S. R. E. toto corde amplexus est.

Ad pag. 140.

Coronam opellæ huic qualicumque imponant sequentes versiculi in verba *O Deus meus!* a Josaphat in morte prolata :

Josaphat irriguæ madefactus sanguine plagæ,
O Deus, extremo personat ore, *meus!*

Non aurum, gemmas, lapides, cimelia, villas,
    Urbes, neve suas esse profatur opes;
Sed Deus est ipsi dives possessio divo :
    Hæres ille Dei est, illius ipse Deus.
Si Deus est fuso divi pro sanguine merces,
    Quid pretio majus sanguinis esse potest?

Qui versus vel ideo non erant hic prætermittendi, quod in veteri editione leguntur in ipsa fronte voluminis, simul et specimen quoddam præbent cæterorum carminum, quæ leguntur ibidem a pag. 139 ad ultimam, seu ad 151, præeunte titulo : *Sacra et perbrevis poesis de vita et martyrio B. Josaphat;* at quos in nova hac editione silentio premere suasit brevitatis studium, præsertim quum et auctor eorum nos omnino lateat, et ampliatum eisdem volumen nostrum potius quam ornatum esse videretur.

INDEX

HISTORICUS ET TOPOGRAPHICUS.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

J

K

L

M

N

O

P

R

S

T

U

V

X

Z

FINIS.

ERRATA.

Pag. 34, lin. 16 : *lege* servis et canibus venaticis comitatus.

Pag. 81, lin. 9 : *pro* tanti periturum morte *lege* periturum morte.

Ibid. lin. 10 : *pro* sanguine pastoris *lege* sanguine tanti pastoris.

Pag. 85, lin. 12 : *pro* horra *lege* hora.

Pag. 87, lin. 18 : *pro* scintillan *lege* scintillam.

Pag. 88, lin. 15 : *pro* veredica *lege* veridica.

Pag. 111, lin. 13 tit. marg. : *pro* aliique pergravibus *lege* aliisque pergravibus.

Pag. 112, lin. 20 tit. marg. : *pro* hemoroissa *lege* hæmorrhoissa.

Pag. 144, lin. 24 : *pro* ubique terram *lege* ubique terrarum.

Pag. 147, lin. 11 : *pro* propositorum *lege* præpositorum.

Pag. 170, lin. penult : *pro* prostratrum *lege* prostratum.

Pag. 176, lin. 24 : *pro* respondisse ; non—*lege* respondisse, non.

Ibid. lin. 30 : *pro* non in favorem inimici rejicitur *lege* in favorem inimici non rejicitur.

SERIES

EORUM QUÆ HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

APPENDIX.

POITIERS. — TYPOGRAPHIE ET STÉRÉOTYPIE OUDIN.

OUVRAGES PUBLIÉS PAR LE P. MARTINOF.

1. **De perfectione vitæ spiritualis**, auctore P.-A. Le Gaudier, S. J., opus posthumum. 3 vol. in-8° Parisiis, 1856-1858. Editio altera, emendatior. Accedunt duo opuscula : *De SS. Christi Jesu amore* et *De vera Christi Jesu imitatione*.

2. **Manuscrits slaves de la Bibliothèque impériale de Paris.** Avec un calque. 1 vol. in-8°. Paris, 1858.

3. **O primirenii Russkoj cerkvi s Rimskoju**, ou *De la réconciliation de l'Eglise russe avec l'Eglise romaine*. 1 vol. in-12. Paris 1859. Traduction russe de la brochure du P. Gagarin : *La Russie sera-t-elle catholique?*

4. **Specimen ecclesiæ ruthenicæ,** auctore Ignatio Kulczynski, monacho ordinis S. Basilii. Juxta rarissima exemplaria romanæ editionis, anni 1733, 1 vol. in-8°. Parisiis et Tornaci, apud Casterman. 1859. Tiré à 200 exemplaires numérotés.

5. **Apologia mojemu puteśestviju na vostok**, ou *Apologie de mon voyage en Orient en* 1628 *et* 1629, par Mélèce Smotritski, archevêque de Polotsk, évêque de Vitebsk et de Mstislav, archimandrite de Vilno et de Derman. — Traduit du polonais en langue russe et précédé d'une préface sur la vie et les œuvres de Mélèce Smotritski. 1 vol. in-8°. Paris-Leipzig, chez A. Hérold, successeur de Frank, 1863.
Cet ouvrage fait partie d'un recueil publié en langue russe sous la rédaction des Pères Gagarin, Martinof et Balabine.

6. **Trifolium serbicum**, coronæ SS. Cyrilli et Methodii inserendum, seu breviarium Vitarum patronorum Serbiæ, SS. Sabæ, Simeonis et Simonis, adjecta Vita S. Sabæ, auctore Thomco Marnavicio, cum notis Joannis Bollandi et editoris. Bruxellis, apud Greuse, anno millenario SS. Cyrilli et Methodii (1863).

7. **De B. Aretha**, monacho cryptensi Kioviæ in Russia, commentarius. Accedit disquisitio de Paterico Kievocryptensi.
Publié dans les *Acta Sanctorum*, au tome X d'Octobre, p. 863-783.

8. **Annus ecclesiasticus græco-slavicus,** editus anno millenario SS. Cyrilli et Methodii, slavicæ gentis apostolorum, seu commemoratio et breviarium rerum gestarum eorum, qui fastis sacris græcis et slavicis illati sunt. 1 vol. in-fol. Bruxellis, 1863, typis Goemaere.
Extrait du tome XI d'Octobre des *Acta Sanctorum*, pages 1-400, et orné de 12 planches du calendrier de Papebroch.

9. **Saulus et Paulus** Ruthenæ unionis sive **Meletius Smotriscius,** archiep. Polocensis, auctore J. Susza, curante J. Martinov. Bruxellis Goemare, 1864.

10. **Réponse à M. Aksakof**, rédacteur du *Dien* (Jour), gazette de Moscou. Paris, 1864, chez Hérold (*en russe*).

POITIERS, TYPOGRAPHIE DE HENRI OUDIN.